2

A FORM OF PRAYER WITH THANKSGIVING, to be used on *Sunday September* the 9th;

Being the Day of

Thanksgiving,

Appointed by the

Kings Declaration:

To be solemnly observ'd in all Churches and Chappels within this Kingdom, in due Acknowledgment of God's wonderful Providence and Mercy in Discovering and Defeating the late Treasonable Conspiracy against His Sacred Majesties Person and Government.

By his Majesties special Command.

DUBLIN,
Printed by *Benjamin Took* and *John Crook*, Printers to the Kings most Excellent Majesty, and are to be sold by *Mary Crook* and *Andrew Crook* at His Majesties Printing-House on *Ormonde-Key*, and by *Joseph Wild* Bookseller in *Castle-street*. 1683.

KING'S INNS LIBRARY

DE SCORBUTO Liber Singularis.

AUTORE

GUALTERO CHARLETON, M.D.

Sereniſſimi, Potentiſſimíq;

CAROLI II.

Magnæ Britanniæ REGIS,

Medico Ordinario,

&

Inclyti Medicorum Londinenſium

Collegii Socio.

LONDINI,

Typis *E. Tyler*, & *R. Holt*, proſtant apud *Guliel. Wells* & *Rob. Scot* ad Inſignia Principis in vico Little Britain dicto, cIↃ IↃ cLxxII.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

Ampliſſimo, Conſultiſſimóque
VIRO,
D. GEORGIO ENT, M.D.
Equiti aurato,
Inclyti Medicorum Londinenſium Collegii
PRÆSIDI atque *Oraculo*,
Egregio & patriæ & ſæculi Ornamento,
Ἀείσῳ φύσεως ἠ κόσμῳ Ἑρμηνεύτῃ ;
QUO
Nil exactius, eruditiuſque eſt,
Sed nec candidius, benigniuſque ;
Amico ſuo.
de ſe ſtudiiſque ſuis plurimum merito,
Hoc quicquid *Libelli* eſt,
ut exiguum, ſed fidiſſimum
ſuæ *Gratitudinis*, & *Obſervantiæ*, *Cultûſque*
teſtimonium,
ex antiqua votorum formula,
LUBENS. MERITO. DONAVIT. DEDICAVIT.
GUALTERUS CHARLETON.

προσφώνημα

LECTORI *Erudito.*

HAUD ſum inſcius, *Lector Cordate*, nulli unquam ſcripto, ſumma licet diligentia limato, eam contigiſſe felicitatem, ut cum ſtatua *Minervæ*, inimitabili *Phidiæ* manu exculpta, extra obtrectandi ſtudium in arce locaretur: nec tam vanus, ut ſpe-

rem, isthoc meum mitiori nunc fato iri exceptum. Ita sanè ingenio humano à natura comparatum, ut cùm ipsam veritatem in rebus *Physicis* nemo mortalium possit, quicquid ei videtur proximum avidè consectemur omnes, & tacita cum voluptate amplectamur. Adeoque *Philosophia* Sacrum quiddam est, & Venerabile; ut etiam si quid illi simile est, mendacio placeat. Hinc umbratili sæpe veri imagine capti, de via recta deflectimus; & ceu fato quodam abducti, *errori* sumus, tum *culpæ* obnoxii: quàm proximè accedentes ad ridi-

ridiculam incautorum amentiam viatorum, qui dum malignè lucentibus poſt primam facem ignibus *fatuis* utuntur ducibus, ſe plerumque vel nodoſis vorticibus implicant, vel ſi meliori genio ducuntur, cœnoſis paludibus impediti, longiſſimam noctem anxiè inter preces & vota conſumunt. In hac igitur *Diſquiſitione* mea de natura, ortuque, & cauſis *Scorbuti*, in multis me fugiſſe Veritatem, nullus dubito: neque cenſuram Tuam deprecor, ſed expecto, quin vehementer etiam exopto. Amo enim Erudito-

torum judicia erudita : nec animum sortitus sum adeò conceptæ semel sententiæ tenacem, ut ὥσπερ λεπὰς προσέχωμαι illis, quæ quis falsa esse demonstraverit.

Cæterùm spero me secutum in plerisque tale temperamentum, ut nusquam vel ulteriùs inquirenda pro jam exploratis, vel obscura pro manifestis, vel conjectanea pro apodicticis, vel Theorica denique pro Practicis posita esse queri possit, quisquis quæ dixi, rectè, ac sine præjudicio intellexerit. Occurrent Tibi for-

fortaſſis (fatebor enim) nonnulla, quæ licèt non procul abeſſe videantur à ratione; nondum ſunt tamen extra omnem dubitandi aleam conſtituta. At quoties iſtiuſcemodi quid inter legendum obſervaveris; toties Tecum conſidera, precor, iſtam provinciam noſtram in rebus plerumque non ad Geometriam, aſt *Pathologiam* (ubi nihil non abſconditum, nihil non indemonſtrabile eſt) ſpectantibus verſari: & deinde oſtendas, quemadmodum in talibus iſtam veri ſimilitudinem ab ipſa veritate dignoſcere poſſim. His certas utrin-

Τὴν δὲ ἀκριβολογίαν τὴν μαθηματικὴν ἀπ' ἐν' ἁπάντων ἀπαιτητέον: non in omnibus rebus quærenda eſt mathematica certitudo. Ariſt. in Metaphyſ.

Λεγοιτο δ' ἂν ἱκανῶς, εἰ κατὰ τὴν ὑποκειμένην ὕλην διαορισθείη τὸ γὰρ ἀκριβὲς ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις = Satis dictum ſit, ſi quantum fert ſubjecta materia, res explicetur; nam exacta tractatio non pari modo in omni genere quærenda eſt. Idem in Nicomachus.

utrinque notas imprime, & *Phyllida ſolus habeto.* immò Χρυσοῦς φασιν ἐν Ὀλυμπίᾳ στάθητι.

Lucian. in Pseudo-Logista.

Interim, qualeſcunq; ſunt hæ lucubrationes, Tu illas ſic lege, tanquam verum quæram adhuc, non ſciam, & contumaciter quæram. Hactenus enim ad generoſum *Senecæ* ſpiritum me compoſui. Non me cuiquam ex illis, qui antehac de eodem argumento cum laude ſcripſerunt, ſerviliter mancipavi: multum magnorum virorum judicio attribuo; aliquid & meo vindico. Nam illi quoque non inventa, ſed quærenda nobis reliquerunt.

Porrò

Porrò in *diſſerendo*, quantum inſtituti ratio, & amplitudo materiæ ferebat, ſtudui equidem *Laconiſmo*: ne tibi faſtidio foret ingrata dicendi prolixitas, cum ingenti rerum varietate conjuncta. Dixi tamen ſatìs ad animi mei ſenſum de tam abſtruſo ſubjecto ſtrictim explicandum. Quem utinam tuo per omnia ſuffragio dignum comperias. Vale itaque, *Lector candide*, & hanc ſubitam conjectamque velut cœnulam ſine faſtidio accipe.

Dabam è Muſæo meo *Londini*,
anno Æræ Chriſtianæ
cIↃ IↃ cLxxI.
Kalend. Auguſti.

Quid? ego tibi videor interim ſedere? in hoc me recondidi, & fores clauſi, ut prodeſſe pluribus poſſim. Nullus mihi per otium dies exit: partem noctium ſtudiis vindico; non vaco ſomno, ſed ſuccumbo, & oculos vigiliâ fatigatos, cadentéſque, in opere detineo. Receſſi non tantùm ab hominibus, ſed etiam à rebus, & primùm à meis. Poſterorum negotium ago: illis aliquia quæ poſſint prodeſſe, conſcribo. Seneca Epiſt. 8.

INDEX CAPITUM.

Cap. I. *Varia Scorbuti* Nomina; *horúmque Explicationes* Etymologicæ.
Cap. II. *De* ingenio & comitibus *Scorbuti.*
Cap. III. *De cauſis Scorbuti* remotioribus & externis.
Cap. IV. *De cauſa Scorbuti* proxima & continente: *itémque de Scorbuti* differentiis.
Cap. V. *Scorbuti ex* rancido *ſanguine oriundi hiſtoria.*
Cap. VI. *De ortu Scorbuti* è ſale fixo.
Cap. VII. *Scorbuti* acidi *genealogia.*
Cap. VIII. *De ſignis* Diagnoſticis, *cuique Scorbuti* differentiæ *propriis.*
Cap. IX. *Signa quædam* Prognoſtica, *Medicis in ſe Scorbuticorum curationem ſuſcepturis diligenter obſervanda.*
Cap. X. *Scorbuti* Therapeia *generalis.*
Cap. XI. Rancidi *Scorbuti* Therapeia.
Cap. XII. *Scorbuti à* ſale fixo *exorti* curatio.
Cap. XIII. Curatio *Scorbuti ex* Acido *præſertim oriundi.*
Cap. XIV. *Medicina gravioribus Scorbuti* Symptomatis *facienda.*
Cap. XV. EPIPHONEMA, *in* Medicaſtros.

CAPUT I.

Varia Scorbuti Nomina; eorumq; explicationes Etymologicæ.

SUMMARIUM.

Artic. (1.) *Unde factum eſt, ut Scorbuto* varia Nomina *cum Antiqui tum Recentiores indiderint.* (2.) *Scorbutum* Hippocrati *cognitum fuiſſe, & deſcriptum ſub duplici nomine:* (3.) *item* Straboni, (4.) Marcello Empirico, (5.) Plinio, (6.) *aliis.* (7.) *Quibus idem appellationibus inſignitur apud* Germanos. (8.) *Quibus apud* Danos. (9.) *Quibus denique apud* Belgas, Latinos, Anglos. (10.) *Coucluſio* apologetica.

ALia inter Theoremata, quæ magnus ille Philoſophiæ oceanus, *Plato* (quem *Philo Judæus* Μώσην Ἀτλιτίζοντα appellavit) Dialogo ſuo Περὶ ὀνομάτων ὀρθότητος copioſè inſperſit; illud mihi cumprimis excerpendum, atque hoc loco memorandum occurrit: Scilicet *Art.* 1.

posse quidem res easdem variis circumstantiis considerari, variisq; adeo nominibus insigniri; at ex illarum σχέσεων natura deberi nomina imponi. Axiomatis autem hujus ratio in eo fundari videtur, quòd Accidentia etiam suo modo dicantur πεφυκέναι, quatenus rem cui conjunguntur, χρεμαπίζονται, id est, notant atq; designant.

Non est igitur, cur tibi aut insolens videatur, *amice Lector*, aut illicitum, quòd morbo huic, in cujus indagine nos nunc versamur, varii Scriptores nomina imposuerint varia. Nam morbus ipse non unus est, sed morborum potius ilias, ex multiplici malorum concursu & complicatione oriunda; ut ipsum πολυγενῆν & πολύπλοκον haud injuria dicas: & si faciem ejus spectes, vel Proteo mutabiliorem esse jurabis; tantum abest, ut uno se vultu in omnibus prodat, ut in singulis etiam Πολύμορφος apparere soleat. Unde factum est, ut dum ex Medicis in ipsius naturam versatilem inquirere aggredientibus, hic quidem in has, ille verò in illas, et tertius in alias ejusdem apparentias oculos attentiùs converteret; & sua quisque Νοήματα, pro diversa σχέσεων natura, in animo efformaret: factum est, inquam, ut eidem varia nomina indiderint. Neque facile erat, ut aliter res fieret. Siquidem sua cuique est conceptorum idea. Et

sicut

ſicut Νοήματα rerum extra mentem poſitarum, ſunt rerum ipſarum minimè fallaces imagines, atque ὁμοιώματα ſive repræſentationes: ita quoque & voces & ſcripturæ debent eſſe Νοημάτων illorum in mente noſtra hærentium, effigies & ſimulachra. Verbo dicam; animi humani conceptus ſequuntur objectorum Phænomena: & Ὀνομαθεσία ſequitur conceptus ſive notiones.

Subtilitatem hanc, alterum illud ab *Hippocrate* medicorum lumen, *Harvæus* noſter, verbis diſertiſſimis explicuit, in præfatione ad librum ſuum *de generatione Animalium*. *Uſu venit, inquit, ut plures eodem tempore ab eodem objecto, varias ſpecies abſtrahant, & notiones diverſas concipiant. Quemadmodum in Pictoribus & Poetis videre eſt: qui licet eodem tempore, & loco, cæteriſque omnibus circumſtantiis convenientibus, unum aliquod objectum intuiti fuerint; id ipſum tamen ſinguli diverſimodè referunt & deſcribunt; prout nempe quiſque ſpecies differentes in Phantaſia efformaverit.*

At quorſum ſpectat, *inquies*, iſte tam magnificus rationum ſuper hac quæſtiuncula umbratili, quæ acumen irritum exercet, apparatus? Non aliorſum profectò, quàm ut exindè tibi luculenter conſtet, nec te-

merè, nec ex mero ſcriptorum arbitratu, impoſita olim fuiſſe Scorbuto noſtro nomina diverſa: aſt prudentèr, & cum reſpectu ad inſignem illam Accidentium & Symptomatum, quibus malitiam ſuam oſtendere amat, diverſitatem. Id quod clarius adhuc apparebit ex Appellationum ipſarum recenſione: ad quam proinde proximo loco deveniendum.

Art. 2. Affectum hunc *Antiquis* nec incognitum fuiſſe, nec prorſus indeſcriptum; omnibus quotquot ſacra eorum monumenta evolverunt, compertum eſt. Ipſum enim *Hippocrates* (ἐκεῖνο ἡγεμὼν τῆς θεοπροπῶς ἐπιστήμης, ut *Pæto* dicitur in *Epiſt. ad regem Artaxerxem*) non tam deſcripſiſſe, quàm ad vivum uſque veris coloribus depinxiſſe videtur: hocque duobus potiſſimum in locis libri ſui περὶ τῆς ἔντο καθῶν; partim ſub *magni Lienis* nomine, partim ſub velo ὕλης αἱματίτης: ubi quæ ad delineandam utriuſque naturam affert, tam exactè *Scorbuto* noſtro quadrant, ut vix alium aliquem invenias morbum, cui cum pari congruitate accomodari poſſint. Verba divini ſenis huc non transferam: quia tibi ſatius erit, ſi oraculum ipſe conſultum adieris; et mihi ſatis eſt, indicis tantum officio defungi.

Nec

Nec à Scorbuto procul abfuiſſe videtur morbus ille, qui in exercitu Romano, cui *Cæſaris Auguſti* gratia præerat *Ælius Gallus*, in Arabiam tunc temporis ducto, paſſim graſſabatur: quemque *Strabo ſub finem lib. 6. Geograph.* deſcribens, Στομακάκην, ἢ Σκελοτύρβην nominavit. Vocabula hæc quæ ejuſdem morbi ſunt, utrum primitùs ab ipſo *Strabone* huic malo indita fuerint, an à vetuſtioribus Græcis derivata: equidem poſt tot luſtra Sæculorum, & in tanto Antiquitatis ſilentio, divinare nefas eſt. Illud tamen certiſſimum eſt, utrumque ex gravioribus morbi ſymptomatis deſumptum fuiſſe: alterum nempe ab oris fœtore, quo milites infecti erant; alterum à crurum ac tibiarum imbecilitate, qua iidem vacillabant. Quippe στομακάκη, rectiùs στομακάκη (ſic enim legendum *Strabonis* textum, cum *Cl: Sennerto* arbitror; quia Scorbuticis plerumque Os Κάκκην, id eſt, *merdam* olet) vitium oris deſignat, quo qui laborant, peſſimè fœtentes halitus ore & naribus efflant. Unde *Germanis* etiam hodie idem oris vitium **Mundtfeule**, i. e. *Foulmouth*, ſatis concinnè dicitur. Σκελοτύρβη, verò à σκέλος, *crus* (unde Belg. **Schene**, & Angl. *Shin*) & τύρβη, *perturbatio*, derivatur: quia crura ita reſolvit, ut homo rectus incedere non poſſit,

ſed nunc ſiniſtrum crus in dextrum latus, nunc dextrum in ſiniſtrum transfert; nunc pedem alterum trahit, inſtar eorum qui locos acclives conſcendunt; ut ſcribit *Auctor Græcus Definit. Medic.*

Art. 4. Eundem morbum quoque apud *Marcellum Empiricum* (qui *Gratiani* & *Theodoſii*, Imperatorum, temporibus floruiſſe traditur) ſub *Oſcedinis* titulo indicatum volunt artium quidam ac Medicinæ peritiſſimi, quibus aſſenſus noſter jure debetur. Etſi enim aliter hanc vocem accipiant nonnulli; nempe ad ſignificandum illud vitium, quo ſæpe oſcitando Os diducimus; *Sereno* tamen ulcera oris denotat;

Hinc oſcedo fugit, cedunt quoque vulnera linguæ: ſicut *Iſidorus* quoque interpretatur, *lib.* 4. *Origin. cap.* 8. ut *Marcello Empirico* etiam Scorbutus ita appellari videatur. Sed nil opus eſt, ad aliena provocare interpretamenta, quum Autor ipſe animi ſui ſenſum haud obſcurè exolvat, *de re Medica cap.* 11. ibi enim alia nulla præſcribit contra *Oſcedinem* remedia, quàm quæ Scorbuto, fauciumque ulceribus ſanandis conveniant. Unde concludere licet, ipſum oris vitium illud, quod Scorbuticis familiare eſt, per *Oſcedinem* eo loco intellexiſſe.

Meminit

Meminit item *Plinius* (*lib.* 25. *cap.*3.) morbi cujuſdam, quem ob gingivarum à dentibus diſceſſum, & ſolutas in genibus nervorum compagines, Medici *Stomacacem* & *Scelotyrben* vocabant. Atque hunc affectum in omnibus eundem eſſe cum Scorbuto, ita in promptu eſt, ut ulteriori probatione neutiquam indigeat. *Art.* 5.

Sunt et alia aliquot, apud Seniores artis Apollineæ cultores, *Celſum* puta, *Galenum*, *Æginetam*, *Aretæum*, *Avicennam*, Scorbuti veſtigia; licet (ut quod deplorandum eſt ingenuè fatear) nec ſatis plena, & denſa vetuſtatis caligine obducta. His autem viritim deſcribendis, & ex obſcuris differentium inter ſe notionum, vocumque diverſarum velamentis, quibus involvuntur, educendis, mihi herculè non vacat inſiſtere: imò nec placet, quandoquidem doctiſſimus, & medendi ſcientia eruditiſſimus *Sennertus*, ingenium ſuum politiſſimum, ſumma cum induſtria, nec minori felicitate, in illo argumento dudum jam exercuit. Ad quem proinde Lectorem, ad monumenta τὰ τῶν ἀρχαίων excutienda addictum, humaniter remitto: dum ipſe ad Scorbuti Appellationes quæ hodie obtinent, examinandas progredior. *Art.* 6.

Art. 7. Apud *Germaniæ ſuperioris* incolas, iſthoc malum duplici nomine inſignitum eſt. Quippe à nonnullis **Schurmunt** vocatur, vel a verbo *Schoren, accendere*; & **Munt**: pro **Mund**, *Os*; quia ſcilicet Scelotyrbicis Os haud rarò inflammatur: vel à **Scheuren**, *rumpere*; quia iiſdem Os ulceribus diſrumpi ſolet. Aliis verò dicitur **Schurbock**; ab eodem **Scheuren** & **Bock**, ſeu **Pock**: eo quod puſtulis urentibus, & exulcerationibus tum Os, tum reliquum corpus affligit.

Art. 8. *Danis* item bina reportavit nomina: (1.) **Schorbeck**, quaſi *vitium oris*; quippe Scorbuticis Os ſæpiſſime afficitur, laxatâ gingivarum compage, dentibuſque propterea vacillantibus. (2.) **Schorbein**, a languidis cruribus; cui Græcorum Scelotyrbe ad amuſſim reſpondet. Addunt nonnulli & tertium, **Blawſchuit** nimirum, à maculis lividis & purpureis, quibus crura inficit.

Art. 9. *Belgis* **Scheur buyck** appellatur; àmodò memorato **Scheur**, *rumpere*; & **buyck**, *venter*, quaſi diceres, Gaſtrocele, ſeu ruptura ventris: indubiè quia Scorbuticis ventres flatibus uſque eo diſtendi ſolent, ut diſrumpi videantur, & ex hoc vocabulo deflectitur tum

tum Latinum, *Scorbutus*; tum Anglicum, *the Scurvy*; quibus & Medicis & vulgo maximè innotuit. Atque hæc quidem de morbi noſtri nominibus diverſis, horumque Etymologematis compendio dicta ſunto.

Nec vitio mihi vertas, cordate Lector, quòd hujusmodi minutiis, quæ ad rem Philologicam propriùs quàm Medicam ſpectant, in ipſo diſſertationis hujus exordio, frigus tibi afflaverim. *Verba* enim ſunt *rerum vehicula*: & Ὁς τὰ ὀνόματα εἰδῇ καὶ τὰ πράγματα. Unde *Skinnerus* noſter ὁ μακαρίτης (qui dum vixit, βιβλιοθήκη τις ἔμψυχος, καὶ περιπατῶν μουσεῖον haud minori jure quàm *Longinus* audire meruit) fidenter auſus eſt pronunciare, in *præfat. ad Etymologic. Anglican:* Eum qui vim & emphaſin vocabulorum ex propriis fontibus eruerit, majores, & veriores in Philoſophia omni progreſſus feciſſe, quàm qui terminis ſcholaſticis, planè Barbaris, & tum à communi ſenſu, tum ab omni Linguarum Analogia abhorrentibus cerebrum referſerit. *Art.* 10.

SUMMARIUM

Cap. II.

De Ingenio & Comitibus *Scorbuti.*

SUMMARIUM.

Artic. (1.) *Scorbutum aliquibus regionibus* Endemium *esse*; (2.) *aliis, & speciatim Magnæ Britanniæ,* Sporadicum; (3.) *aliis, sed non semper,* Epidemium. (4.) *Eundem esse* mali moris; (5.) contagiosum, (6.) *& permagna infamem farragine* Symptomatum. (7.) *Quæ generatim dividuntur in* familiaria, *&* rarò contingentia. (8.) *Quæ* prioris *sortis sunt, dispescuntur in quatuor* familias. (9.) *Familiæ* primæ *Synopsis.* (10.) *Elenchus* secundæ. (11.) Tertiæ *series.* (12.) *Catalogus* quartæ. (13.) Rarò contingentium *præcipua, exemplis quibusdam illustrata.* (14.) *Non eadem omnibus Scorbuticis esse communia: non omni tempore eadem pati singulos.* (15.) Theorema, *ex præmissis genuinè deductum; viz. Scorbuti materiam esse* Nervis *præcipuè infestam.* (16.) Theorema *alterum*; *Causam*

ſam ejuſdem continentem & proximam, per univerſum *corpus diffuſam eſſe; idque vel* ſanguinis, *vel* Succi Nutritii, *vel* utriuſque *ductu.*

A nominibus Scorbuti, ad ejuſdem *naturam*, pro ingenioli noſtri tenuitate inveſtigandam progredior; ubi primo inquirendum occurit, ad quam *Communium* morborum claſſem rectius referri debeat: ſcilicet, utrum ex eorum numero ſit, quos *Hippocrates* Ἐνδήμια νοσήματα, καὶ ἐπιχώρια παθήματα vocat, id eſt, *Populares* & *Regionales*, ſeu alicui regioni familiares: an eorum qui eidem dicuntur Σποραδὲς νοῦσοι, hoc eſt, qui eodem tempore ſparſim graſſantes, plures homines, ejuſdem regionis incolas adoriuntur; non ex communi quadam cauſa, ſed uniuſcujuſque proprio vitio, ſeu morboſo apparatu: an denique eorum qui Ἐπήδημοι νοῦσοι appellantur, paſſim & in obvios quoſque ſævientes, & aeris inſpirati malitiæ vulgo adſcripti. Ubi in tranſitu notandum, ſub *aere*, cœli conditionem, regionis ſtatum, victûs corruptionem, aquarum pravarum potionem comprehendi: ex interpretatione *Galeni*, *Com.* 1. *in lib.* 1. *Epidem.*

Endemium quidem Scorbutum eſſe regionibus *Art.* 1.

gionibus haud paucis in hac Septentrionali orbis Terrarum parte; puta *Hollandiæ*, *Selandiæ*, *Flandriæ*, *Brabantiæ*, *Daniæ*, *Sueciæ*, *Norwegiæ*, *Friſiæ*, *Weſtphaliæ*, *Pomraniæ* & finitimis populis, qui vel oceano Germanico, vel Balthico mari adjacent; minimè dubitandum eſt: quandoquidem id Medici etiam ipſi, qui apud iſtas nationes aut nati ſunt, aut ſedes fixerunt, ſcriptis teſtatum fecêre; & ex earundem incolis plerique aere, & victûs ratione utuntur, quæ ad generandum Scorbutum valentiſſima perhibetur.

Art. 2. Sunt tamen climata alia etiam ad Arctum ſpectantia, in quibus idem affectus, non utique Endemicè, ſed tantùm *Sporadicè* graſſari videtur. Exemplo ſit (ut *Galliam* in qua vix quidem auditum eſt Scorbuti nomen, licet morbus ipſe nimium frequens ſit, ſilentio præteream)

Magna per immenſum celebrata Britannia mundum.

Huic omnium quas Sol unquam aſpexit inſularum ut maximæ, ita & beatiſſimæ, Scorbutum, nimis licet frequentem, non eſſe tamen Endemium, equidem conſtanter affirmo; eam in ſententiam haud una ratione

ratione adductus. Primò enim ille non eſt in oris Britannicis quàm apud exteras nationes frequentior: ſed contrà longè rariùs quam in ulla ex modò dictis terrarum tractibus, Medicorum obſervationi occurrit. Deinde iſthîc ortum ſuum non ab ulla aeris pravitate, non ex inclementia ſoli ducere cenſendus eſt: aſt ſolum ex illorum qui eo laborant, inordinata vivendi ratione, & apparatu morboſo; aut ſaltem ex eorundem cum infectis commercio nimis familiari. Verum eſt quidem, *Britanniam* noſtram, ut oceani amplexibus undique cinctam, ut innumeris propè fontibus aquarum ubique locorum ſcaturientibus irriguam, ut imbribus, pluviiſque frequentioribus obnoxiam, ut longè ab Æquatore diſtantem; Atmoſphæra utplurimùm inveſtiri ad humidam frigidamque temperiem nonnihil vergente: at iſthæc aeris diſpoſitio nec inſpirantium ſanitati gravis ullatenus exiſtit, ut noſtratium & corporis animique præſtantes vires, & ingens ſenum etiam ad miraculum uſque vegetorum multitudo hic paſſim obſervanda, clarè oſtendunt: nec ad inducendum Scorbutum, utpote cujus eſſentia neutiquam in humiditatis cum frigore conjunctæ exceſſu fundatur, neceſſariò conducit, neque etiam incolis omnibus adeo communis

nis morbi cujuſvis, multo minus Scorbuti cauſa eſſe poteſt; ut cautiores etiam, eoſque qui debitum, locoque accommodatum vitæ regimen obſervant, indiſcriminatim corripiat inficiatque. Et præter aerem craſſiuſculum, nihil ſanè / quod hominum ſeu ſanitati, ſeu longævitati quoquo modo impedimento ſit, in cœlo ſolove Britannico reperire eſt. At verò ad morbum quemcunque Endemium, quo propriè ſic denominetur, requiritur, ut exiſtat in illa regione, cui attribuitur tanquam Vernaculus, quàm in alia ulla frequentior: ut ortum ducat ex aliquali regionis inſalubritate: utque inſalubritas iſta ſit omnibus incolis ex æquo communis, nec quovis utcunque recto rerum Non-naturalium uſu præcavenda. Certum igitur perſpicumque eſt, *Britanniæ* non Endemicum, ſed *Sporadicum* eſſe Scorbutum: qui inibi per multa loca vagatur, haud paucos ex iis, qui vel otio luxuque degunt ſoluti, vel pravis alimentis per egeſtatem uti coguntur, vel cum infectis converſantur, invaſurus. Hæc equidem eo potiſſimum conſilio diximus, ut Veritati ſimul litaremus, & Patriæ.

Quæ nimio nec ſtricta gelu, nec Sydere fervens,
Clementi Cœlo temperieque placet;

quam-

quamque quaſi alterum orbem, extra orbem, ad delicias humani generis, natura conſtituiſſe videtur; ut incolas taceam, quorum pars maxima, corporis habitudine optima, commodiſſimis moribus, mitiſſimis ingeniis, & maximis animis præditi ſunt; quorúmque virtus rebus domique bellique geſtis eſt univerſo terrarum orbi teſtatiſſima.

Cæterùm idem morbus eſt interdum quoque *Epidemiſus*: ubi nimirum conſueto plus viget cauſa illa communis, ſeu in prava victûs ratione, ſeu in paſſim diffuſo aeris miaſmate, ſeu demum in utroque ſimul concurrente, & ſenſim magis magiſque in hominum Eucraſiam prævalente conſiſtens, unde Scorbutus primordia ſua atque fomentum deſumere ſolet. Tunc enim ipſum in vulgus & multo frequentiùs, multoque graviùs quàm antea conſuevit, involare neceſſum eſt: aucto quippe mali fomite, & ejuſdem ſævitia ſimul augetur. Ita anno 1556. Epidemium *Brabantiæ* populo Scorbutum redditum fuiſſe; idque ex eò, tempore famis, advecti ſecalis corrupti uſu vulgari, teſtatum reliquit *Rembert. Dodonæus*, *obſerv. Medic. cap.* 33. idemque *Belgis* quoque anno 1562. contigiſſe obſervatum à *Petro Foreſto*, *lib.* 10. *obſerv.* 12. *Art.* 3.

ſerv. 12. Ex dictis itaque patet eſſe morbum hunc aliis quidem terrarum plagis *Endemium* ſeu Vernaculum: aliis verò tantùm *Sporadicum*; eundemque nonnunquam aſcendere ad *Epidemici* etiam malitiam, licet iis duntaxat in locis, ubi ante familiaris exiſtere conſuevit.

Art. 4. *Secundo* loco conſideranda venit genuina Scorbuti *indoles*, ſeu agendi *Modus* peculiaris, quo ægrotos pro apparente ſua pravitate afficere ſolet: omnibus quippe morbis, ſuus cuique eſt τὸ ἦθος (*Hippocratica* vox eſt, quam τρόπον exponit *Galenus*) quo tanquam charactere eſſentiali, ſuam ut ut aliàs abſconditam prodit naturam; quiq; tum ex propria morbi forma; tum ex ſupervenientibus morbo caſibus conſtituitur. *Moris* igitur hujus reſpectu, nullus dubito quin Scorbutus κακόηθες νόσημα, ſeu morbus *Malignus* jure merito audire debeat; ſive ipſius ἰδιοκακίαν ſpectes, ſeu quæ eidem ſuperveniunt. Nam & ſua natura *contagioſus* exiſtit, maximè ubi inveteraſcere incepit, vireſque ſibi diutino in nobiliora corporis viſcera maleficio acquiſivit: & prælongam graviſſimorum etiam *Symptomatum* ſeriem ſecum haud rarò inducit; ut facultatum naturalium, vitalium animalium vix ullam, ne unam quidem ex univerſis corporis

poris partibus, ab ipſius pluſquam Scythica feritate immunem reperias.

Contagioſum eſſe, idque pluribus modis; *Art.* 5
lugubri prope infinitorum experientia ſancitũ eſt. Fuêre, qui liberis ſuis Scorbutũ legarent, jure poſſidendũ hæreditario: in ſobolem traductâ, cum ipſis generandi principiis, *ſemine* nimirum, *lacteque uterino*, ipſius labe. Fuêre qui chariſſimis communicarent conjugibus: morbi ſeminio oſcula inter & amplexus transfuſo. Nec deſunt nutricum ex numero, quæ cum *lacte* in ſubrumantia pupulorum ora inſtillarunt: quos alere ſuſceperant, lenta morte lactantes. Tacitè ſerpit inſidoſum virus ab hoſpite in hoſpitem, ſpiritûs, lecti, menſæ, poculorum communione: fædo Scorbuticorum miaſmate, expirato aeri, ſudoribus, humori ſalivali, cæteriſque id genus purgamentis inhærente, ſuáque ſpicula ſanorum quos tetigerit membris atque præcordiis altiùs infigente. Imò poſt mortem quoque vivit vigetque nonnunquam dira lues: ipſis eâ extinctorum cadaveribus exhalante, veſpillonumque & diſſecantium Chirurgorum vitalia inficiente, toxicorum ad inſtar, fætore; cujus rei dignum memoratu exemplum habes à *Cl. Sennerto* (*lib. de Scorbuto cap.* 3.) allatum.

Art. 6. Neque minus certum eſt, eundem *numeroſo* aliorum morborum atque *ſymptomatum ſatellitio* ſtipatum circumvagari. Tot enim, tamque varios, quin & nonnunquam toto genere inter ſe differentes affectus, ceu adhærentes lateri ſuo comites habet; ut non tam morbus ſimplex, quam omnium penè morborum, quibus nos miſelli homines obnoxii ſumus, συνδρομὴ καὶ πολυμιγία videatur. Horum autem Symptomatum alia Scorbuticis exiſtunt magis familiaria; alia minús.

Art. 7. *Prioris* ſortis rurſum, hæc facultates *Animales* potiſſimum affligunt: illa funeſtum *Vitalibus* bellum inferunt: alia organorum publico *nutritionis* muneri dicatorum œconomiam perturbant: alia denique in partes à centro remotiores, quæque *habitum corporis* conſtituunt, immanè ſæviunt. Cuncta ad calculos redigere, opus Jupiter longum eſſet, & laborioſum: quædam recenſere, neceſſarium, quò tandem de occulta fontis unde dimanant natura, minus incertam faciamus conjecturam. Seligemus igitur, inque catalogum ex ordine conjiciemus, quæ cæteris & frequentiùs obvenire, graviúſque excruciare ſolent. Sunt autem ſequentia.

1. *Dolores*

1. *Dolores Capitis* diverſimode affligentes; tenſivi nimirum, punctorii, gravantes; nunc vagi, & incerta poſt temporis intervalla recurrentes; nunc periodici, utplurimum veſpere inſilientes, cum calore febris æmulo conjuncti, & ſudationibus matutinis evaneſcentes. His maximè torquentur, qui Scorbutum ex Hæmorrhoidibus Menſtruiſve ſuppreſſis contraxerunt. *Art.* 8. 2. *Sopor profundus*, cum inſigni ſpirituum torpore opprimens; qui lentam febrem, nunc quidem continuam, aliquando intermittentem, pro comite habens, cum paroxyſmo ingruit, & ceſſante recedit. 3. *Vigiliis* immoderatis tandem ſupervenientes *terrores*, *metus*, *triſtitia*, quin & *deliria*, ut ex improviſo invadentia, ita & brevi evaneſcentia; nec cum morbis acutis, ſed lentis conjuncta. 4. *Vertigines* crebro corripientes, inque Epilepſiam aut Apoplexiam haud rarò deſinentes. 5. *Convulſiones* modò univerſales, modò particulares, cum rigida membrorum contractione; quæ ita interdum invaleſcit, ut ægri nullum articulum extendere poſſint, & quaſi in orbem incurventur. Nonnullis cardo oris ita rigidus manet ut inferiorem maxillam à ſuperiori nequeant diducere. Hujuſmodi Convulſiones plerumque cum

febre conjunctæ ſunt: & eadem facilitate, qua prehendunt, remittunt, iterumque recurrunt. Item excipere ſolent vel totius corporis rigores, vel tremores, vel paralyſin modò evaneſcentem, modò præter expectationem redeuntem. Quibus ſibi propriis ſignis, ut & urinis craſſis, turbidis, ac lixivium referentibus, haud difficulter diſtinguantur ab *Antiquorum* convulſione. 6. *Paralyſis*, quæ nunc crura, nunc totum alterutrius lateris occupat. *Differt* autem à *Paralyſi Veterum*; quòd affectis aliquis motus remaneat; quòd ex intervallis remittat; quòd non inopinato adoriatur, ſed paulatim prius tentet, antequàm ſedem figat; quòd ſequatur, non tam fixum ſtuporem, ſed Colicam, ventriſque dolores acerbiſſimos; quòd poſt invaſionem, aliæ partes motibus ſuis ſponte reſtituantur, aliæ reſolutæ maneant, vel ad motus ſpaſmodicos diſponantur. 7. *Dolores Hypochondriorum incircumſcripti*; modò in lumbos & inferiora corporis, modò per cuncta ejus oberrantes: nunc *Nephriticis* ſimiles; nunc Λόρδωσιν ſeu *Lumbaginem*, aliàs *Tabem Dorſalem*, cum acerbiſſimis, nec ullum requiei tempus concedentibus circa coxendicis oſſa tormentis, inferentes. 8. *Dolores Pedum* circa talos & plantas, macularum ſæpius

piùs prodromi, & ob tenuitatem materiæ morbificæ, partes quaſi penetrantes. 9. *Arthritis vaga*, cum levi paralyſi conjuncta; quæ cum dolore ceſſat, cum dolore redit, & in eandem partem cum dolore migrat. Eſt etiam huic Arthritidi ſcorbuticæ hoc peculiare, quòd ſi loco maximè dolenti vivus imponatur Lumbricus, exſiliat, circumgyretur, incurvetur, tabeſcat & emoriatur, ut haud pauci experimento plus ſemel facto ſe deprehendiſſe ferunt. 10. *Dolor crurum*, qui tenſivus, obtuſus, ὑποκώπῳ, in profundo latens, ſub noctem ingraveſcens, mane poſt ſudatiunculas miteſcit. 11. *Ventris dolores*, uſque eò immanes, ut ipſum lancinando ac diſtendendo peritonæum diſrumpere videantur; imò & quibuſdam reverà dilacerarint. Vexant non continuo, ſed ex intervallis; ad quadrageſimum uſque diem, & ultra nonnunquam extenduntur; non ſolùm coli ductu circumſcribuntur, ſed huc illuc per univerſum abdomen diſcurrunt; diſtenſionis ſenſum potius ſecundum longitudinem, quàm latitudinem inferunt; ventrem non tam attollunt, quàm cum umbilico introrſum revellunt, ut is lumbis quaſi annexus videatur; ſolutâ alvo, flatibuſque per inferiora exploſis, neutiquam mitigantur; interdum in paralyſin deſinunt; eſt & tempus,

quando inteſtinum etiam rectum ſuperiora verſus tam validè retrahunt, ut nihil plane nec prodeat, nec intromittatur. Quibus indiciis, dolor ventris *Scorbuticus* à *Colico* facilè diſcriminetur.

Art. 9. *Secundam* claſſem conſtituunt Symptomata *Vitalibus* præcipuè infeſta: & in his recenſitu digniſſima ſunt. 1. *Pleuritis Spuria*; in qua dolor, etſi non minus atrox quàm in vera & genuina ſuccingentis thoracem membranæ inflammatione, non tamen æquè continuus eſt, nec tuſſim aut ſputi expectorationem, nequè etiam pulſum durum, ſed parvum, mollem & inæqualem, ſibi conjunctum habet. Febris item, ſi adjuncta eſt, non acuta, ſed lenta exiſtit. Adhæc, reſpirandi libertas parum imminuitur. 2. *Reſpiratio difficilis*, & pectoris anguſtia interpolata; quæ abſq; ſtertore, ſibilo & tuſſi afficit; interdum adeo augetur, ut Lipothymiam minetur, & caliginem oculis offundat, ægroſque in vitæ deſperationem conjiciat; idque frequentius poſt vehementiores corporis animive motus. 3. Καρδίας παλμὸς, *Cordis palpitatio* & *Lipothymia* frequens: quarum utraque in quiete intermittens, maximè corripit è lecto ſurgentes, vehementerque exaſperatur immodica exercitatione, æſtu, balneis,

balneis, venere, crapula, & excandeſcentia; poſterior verò interdum uſque eò effera evadit, ut repentina morte extinguat. Alterutra ubi in parvo ad ſenſum morbo affligit, certiſſimo Scorbuti indicio ſit. 4. *Febres* multigenæ; nunc lentæ & continuæ; nunc intermittentes; frequentiſſimè ex continuæ & tertianæ typo mixtæ; ſemper ab aliis febribus quadantenus differentes. Nam frigoris ſenſus ſæpe ad ſex vel ſeptem horas extenditur, antequam ardor erumpat: pulſus præter rationem febris tardus eſt, debilis, inæqualis, in declinatione; circa vigorem, durus & magnus; urina, qualis Scorbuto peculiaris eſſe infra dicetur: ingruente paroxyſmo, plerumque adſunt membranarum crurum, dorſi, lumborum, aliarumque partium vellicationes in tantum moleſtæ, ut ægroti carnes ſibi ab oſſibus divelli ac dilacerari exclament: aliquibus dorſum intus ad ſpinalem uſque medullam algere videtur, reliquo corpore interim caloris exceſſum patiente; & vice verſâ: aliis ſuperveniunt motus convulſivi, lethargus, dolores erratici, & id genus alia Symptomata cæteris febribus rara: denique febres Scorbuticæ haud rarò in alios morbos nec opinatò mutantur.

Art. 10. *Tertiæ* classis sunt Syptomata, quæ functiones *Naturales* dictas, quo minus inculpatè suis muneribus perfungantur, impediunt. In his, heic memorari præ cæteris merentur. 1. *Deglutitio læsa*, cum *strangulationis* metu, cibum sumpturis acerbissima; ex constricto, vel superiora versus retracto per halitus acerbos & austeros œsophago. 2. *Vomitus*, seu potius inanis vomendi conatus, nullam ventriculi gravitatem, nullum dolorem antecessorem habens; præter rationem & spem remittens, denuoque ex improviso recurrens; adstringentium vim eludens; sed lacti, emulsionibus, aliisque acrimoniam humorum demulcere aptis natis facilè cedens. 3. Πτυαλισμὸς seu *Salivatio prodigiosa*, haud multo inferior illi quam Hydrargyri inunctio excitare solet lue venerea infectis. 4. *Alvi fluxus* tam *diurnus*, quàm *nocturnus*; quo ejiciuntur fæces compactæ, sed copiâ cibum excedentes, coloris varii, nunc herbacei, nunc cinerii; magis confertim, quàm in diarrhæa vulgari erumpentes: nonnunquã etiã *sanguinolentus*, sed sine torminibus intestinorum, & cum aliis Scorbuti criteriis. 5. Βραδύτερα διαχώρησις, *tarda atque pigra alvi dejectio*, qua fæces & cibi reliquiæ rarò, nec pro assumptorum ratione

ratione deſcendunt. 6. *Hæmorrhagiæ* ingentes, ex uteri, ani, narium, pulmonum, ventriculi, crurum, labiorum arteriolis inconſpicuis erumpentes, nullumque aperturæ veſtigium poſt ſe relinquentes. 7. *Urinæ inſigniter variæ*; initio *tenues* & *citrinæ*, materiâ tartareâ in viis quas præterlabuntur ſubſiſtente: nunc *craſſæ* & *albeſcentes*: nunc, humoribus magis adhuc corruptis, *rubræ*, & propter uberiorem ſalſedinis aduſtæ admiſtionem, lixivii more ſplendeſcentes, cum cruſtula ſalis fluidi innatante, aut matulæ parietibus affixa. Interdum *turbidæ* ſunt & permanent: aliàs clareſcunt, *rubrumque ſedimentum*, quod farinam latericiam refert, ad fundum deponunt: nonnunquam multa cruda & pituitoſa recrementa ſupra ſedimentum ſuſpendunt. His verò, quibus hæmorrhoides ſuppreſſæ malo occaſionem dedere, guttatim cum dolore & ardore exſtillant; & materiam tartaream, mucoſam, ſalſam & ſubnigricantem continent.

Quarta denique legio ex iis conſtat Scorbuti militibus quaſi auxiliaribus, qui ſigna defigere ſolent in partibus ad habitum corporis ſpectantibus. Horum primipilares ſunt. 1. *Exanthemata* ſeu *maculæ* crurum, dorſi, pectoris, aliarumque partium cutim *Art.* II.

vario

vario ſparſim ſtigmate fædantes: primo *rubicundæ* & pulicum morſibus perſimiles; aucto deinde malo, *purpureæ*, *ſublividæ*, *nigricantes*: interdum mox ab eruptione *diſparentes*; interdum ad plures annos, quin & mortem uſque *infixæ*: aliquando tam indomitæ malignitatis, ut in *ſquammas* nunquam extirpandas, imò & *gangrænam* & *ſphacelum* abeant: nunc plures; nunc pauciores: ſemper quo magis ad nigrorem vergunt, eo pejoris ominis: adultis utplurimum infeſtæ: in ſenio jam prope confectis *ulceroſæ*. 2. *Tubercula dura* undique diſperſa, & *tumores magni*, in inguine, cæteriſque glandularum ſedibus fixi; ægris dum ambulant, indolentes; quieſcentibus inquieti & luctuoſi: ubi ſubito erumpunt, moxque ad interiora ſe recipiunt, brevi ſucceſſuram minantes paralyſin, ob materiæ in nervos metaſtaſin: Pepaſmi ferè incapaces: triſtemque excipientes vitam, ut Gallici *luxurioſam*. 3. *Eryſipelas* (illa nempe Phlegmones ſpecies quam à rubro roſeoque colore Germani **die Roſe** vocant; noſtrates verò nunc *S. Anthonies Fire*, à ſummo ardore quem infert; nunc *a Blaſt*, hoc eſt, *ſyderationem* ſeu venenatæ auræ afflatum, ſatis ineptè appellant) quod cum horrore, magno languore & anxietate, nonnunquam & levibus animi deliquiis invadit

vadit; de loco in locum migrat; ſæpe ſingulis ferè ſeptimanis, interdum menſtruatim, aliàs non niſi ſemel in anno efflorescit. 4. *Ulcera*, crurum, ſurarum, faciei, pudendorum &c. carnes exedentia: non pus, non ſaniem proferentia; aſt ſicca utplurimum, cruſtoſiſque & ad livedinem tendentibus labiis circumſcripta: imò maligna etiam, Telephiiſque ob inſanabilem virulentiam æquiparanda: item in Carcinoma aut Gangrænam aliquando deſinentia. Hæc atrabilariis (ut Medicorum vulgo dicuntur) tum magis familiaria, tum maximè funeſta perhibentur: forſan quòd talibus inſint ſucci auſteri & cauſtici. 5. *Pedum Tumores* œdematoſi, duri, renitentes, cum tendinum aliquali rigiditate; illos cum primis, quibus Hypochondria craſſis humoribus repleta ſunt, vexantia. 6. *Hydrops*, qui & cum duriore ventris, hepatis & lienis tumore, & cum reſpirandi difficultate majore (quæ poſt Catharſin ingraveſcere ſolet) quàm aliàs affligit. 7. *Gingivarum intumeſcentia, laxitas, putrefactio, cruentatio*; unde *dentes* nunc nigredine quaſi ſiderantur, nunc vacillant, ipſorum alveolis ab ichore ſubacido occupatis, & nonnunquam exeſis; & *halitus* oris adeo *mephiticus*, ut ne beſtiæ quidem ferre poſſint. 8. *Atrophia univerſalis*, ex

ſucci

ſucci nutritii tum inopia, tum incongruitate: & ob vitioſam diatheſin, partibus ipſis nutriendis, temporis proceſſu, impreſſam.

Art. 12. Atque ita tumultuariè ſtrictimque luſtrato morborum & Symptomatũ agmine illo, quod ex iis quæ & frequentiùs Scorbutum comitari obſervantur, & malignum ipſius ingenium clariùs indicant, conſtitutum eſſe diximus: proxime ſub uno pariter aſpectu ponenda veniunt & ea, quæ inter *rarò contingentia* recenſentur. Hujus igitur cõmatis ſunt. 1. *Scabies* aſpectu fœdiſſima, ex ſucco nutritio ſummè depravato, ſordeſque in cute relinquente: & 2. *Cæcitas Subitanea*, ex iiſdem impuritatibus à circumferentia corporis in cerebrum, indeque in nervos opticos verſis; cum ſumma pectoris anguſtia, difficili reſpiratione, & urinis turbidis, ſubruffis, nigricantibus conjuncta: interdum præter ſpem evaneſcens, & poſt quadriennium inexpectatò recurrens. Cujus bina extant exempla apud *Cl. Sennertum*, *lib. de Scorbut. cap.* 4. 3. *Ictερus* cum *Hydrope Aſcite*, *Aſthmate* & *Favis* univerſum caput obſidentibus: obſervante doctiſſ. *Doringio* apud eundem *Sennertum.* 4. *Crepitus oſſium*, ad quoſvis articulorum motus & inflexiones; qualem ex commotis & colliſis ſceleti oſſibus

ossibus, aut nucum corticibus inter dentes confractis audimus. Symptoma sanè admirandum, plus semel tamen Medicis notatum: testibus *D. D. Timotheo Ulrico*, quem citat *Sennertus*; & *ornatiss. Collegâ nostro, D. D. Willisio, in lib. de Scorbuto.* 5. *Ossium fragilitas* tanta, ut sine aliqua vi externa incidente seu contundente, sine ullo impetu inter movendum impresso, nunc brachii, nunc femoris ossa quasi sponte transversim dissiliant. Exinde fortassis, quòd ossium substantia & compages insigniter quidem, sed vix explicabili modo, corrupta sit, feréque dissoluta, ab acribus, acido-salinis, & aquæ Stygiæ corrosivam facultatem æmulantibus humoribus, in eorum cavitates ac porulos, alimentaris succi loco, sensim importatis. Monstri hujus dignissimas lectu historias æternitati commendarunt *Marcellus Donatus* (*de hist. med. mirabil. lib.* 4. *cap.* 5.) *Schenckius* (*lib.*5. *observ.* 8.) *Fabric. Hildanus* (*cent.* 2. *observ.* 68.) *& alii*, quos viritim hic citare, satietatem afferret & nauseam.

Sunt insuper & alia aliquot, nec supra enumeratis prodigiosa minus, symptomata, quibus immanis, & tantum non pestilentialis hic morbus noster, genii sui pravitatem, ut ut sub alienis larvis latentem, nonnunquã subindicasse, imo & detexisse traditur. Sed

reliqua

reliqua ſtudioſè omitto; ne in re dudum jam perſpecta nimius ſim, & quia ſumma ſequor faſtigia rerum.

Art. 13. Æquum eſt tamen, antequam ad alia progrediar, paucis admoneam; *non eadem Symptomata omnibus eſſe communia; non omni tempore eadem pati ſingulos.* Sunt enim, ſicut aliorum morborum, ita pariter & hujus quaſi gradus quidam: & in his, nondum crevit ultra ſui principium; illis, in augmento eſt; in aliis uſque eò viget ut ad ſummum jam tum dicatur tyrannidis ſuæ faſtigium ſeu ἀκμὴν aſcendiſſe: & pro *temporum* horum varietate, variant quoque Symptomata. Quæ proinde nunc pauciora & mitiora, nunc plura & graviora infeſtant. Sunt etiam hominibus *temperamenta* magis adhuc inter ſe diverſa. Sunt item inſigniter ab ſe invicem diſcrepantes cauſarum tum procatarcticarum, tum conjunctarum συζυγίαι, *combinationes*, & *apparatus* ad Scorbutum. Et ex tanto utrinque diſcrimine, nil mirum eſt, diverſis ſubjectis ingentem Symptomatum diverſitatem exoriri. Adhæc, diris Scorbuti effectibus nil ſolennius eſt, quàm excruciare per periodos; ipſisque etiam individuis, in quos recurrunt, mutatâ ſui ſpecie, illudere; ut vix eoſdem eſſe agnoſcantur

ſcantur. Non eſt ergo, quod quis aut eoſdem in omnibus, aut ſemper ejuſdem moris aliquos in quovis expectet reperire.

Jam verò ſic deſcriptis per compendium Scorbuti malitiâ militiâque, quibus humani generis ſanitatem, nunc latenter quidem, velutique ex inſidiis; nunc aperto Marte aggreditur atque devaſtat: quid lucis inde nobis effulſerit, ad inveſtigandam ipſius eſſentiam, tot difficultatum tenebris abſconditam, hic conjungere conſentaneum arbitror; atque vindemiatio ſecunda inſtituenda eſt. *Poriſmata* igitur *bina* ex jam enarrata Symptomatum Scorbuticorum hiſtoria ſeſe colligenda offerunt: quorum alterum plerique medicorum pro indubitato amplectuntur; alterum, adhuc paradoxum eſt, ideoque ulteriùs ſuo loco ventilandum.

Prius eſt, *Humoris illius* (qui & qualiſcunque demum is fuerit) *unde ortum ſuum & ſpecificationem Scorbutus ducit, hanc eſſe naturam & conditionem; ut cum Nervis, horumque progenie inimicitias gerat exerceatque graviores, quàm cum cæteris quibuſcunque univerſi corporis partibus.* Si quis enim oculos ſuos in prælongam iſtam, quæ præceſſit, Symptomatum ſeriem attentiùs *Art.* 14.

tentiùs reflexerit; menteque ſingula eorum ſeriò & citra præjudicium penſitaverit: perpauca ſane tanto ex numero inveniet, quæ non ad cerebri & ſpinalis medullæ, aut enatorum ex utroque nervorum, aut membranarum denique ex nervulorum fibrillis contextarum moleſtam irritationem & læſionem commodiùs referantur, quàm ad quarumlibet cæteris ex partibus offenſiones: manifeſto ſatis indicio, acrem atque internecinam eſſe cum nervoſo potiſſimum genere Scorbuto hoſtilitatem.

Art. 15. *Poſterius* eſt, Cauſam Scorbuti continentem & proximam, *non in hoc vel illo ex viſceribus, tanquam in propria ſui minera, ſtabulari: ſed per univerſum corpus diffuſam, vel* ſanguini, *vel* ſucco Nutritio, *vel* utrique (*licet fortaſſe non ex æquo*) *primariò inhærere.* Theorematis hujus partem *priorem* pleraque ex ſymptomatibus clarè evincunt: utpote quæ non huic, non illi, ſeu viſceri, ſeu membro, ſpeciatim & præ cæteris affixa manere ſolent; at de uno in aliud licenter migrando, ſævire in cuncta. Ut univerſalia (ſucceſſivè ſaltem) quàm alicui ex partibus propria, rectiùs vocitari mereantur. Et ubi univerſalis morbus eſt, ibi cauſam quoque eſſe pariter univerſalem

universalem necessum est. *Posteriori* fidem faciunt ubicunque præsentes isti humores, *Sanguis* scilicet, & *Succus Nutritius.* Præter hos enim (excepto tantùm *Lymphæductuum* liquore, qui tamen partim ex sanguine, partim è succo alibili scaturire creditur) nil prorsus supereſt in corpore nostro perenniter discurrens per totum, quod Miasmati Scorbutico potest pro subjecto inhæsionis simul & pro vehiculo inservire. Ratum igitur esto, Scorbuti causam materialem per cuncta corporis moveri atque diffundi: idque vel cum uno ex dictis humoribus, vel cum utroque commistam atque confusam. Sed utrum huic, an illi copiosiùs & frequentiùs admiscri soleat, non hujus loci est disceptare: proindeque sufflaminanda tantisper Lectoris super isto quæsito curiositas, donec eò exercitationis hujus perveniamus, ubi magis opportunum nobis fuerit, viritim solvendis Φαινομένοις Scorbuticorum præcipuis immorari.

Cap. III.

De *cauſis Scorbuti* Remotioribus & Externis.

SUMMARIUM.

Artic. (1.) *Nondum luci expoſitam* Miaſmatis Scorbutici *eſſentiam*, & ὑπαρξιν *ritè perſcrutaturo, exordiendum eſſe ab ipſius cauſis* remotioribus & externis: & *quare.* (2.) *Cauſarum iſtarum in* tria genera *digeſtio.* (3.) *Quæ* primo *ſub genere comprehenduntur.* (4.) Aeris *vitia quæ ad generandum faciant Scorbutum: & quomodo unumquodque ex iis eò conducat.* (5.) *Quî iſtorſum* κακοχυμία *quoque ſpectet.* (6.) *Quemadmodum* Motus *corporis, ſive exceſſu, ſive importunitate culpandus, idem malum producat.* (7.) Quies *item nimia, ut Scorbuti parens fiat.* (8.) *Conſimilis maleficii accuſantur* ſomnus *etiam &* vigiliæ *modum excedentes.* (9.) *Eodem notantur crimine quoque conſueto diutiùs* intermiſſæ *recrementorum quorundam* Evacuationes. (10.) *Maximè*

verò

verò in jus vocatur Triſtitia. (11.) *Ut oriatur Scorbutus è noxiis* morborum *nonullorum* reliquiis. (12.) *Eſſe aliquot eidem cæteris magis obnoxios, ob ſecretam quadam* ἰδιοσυγκρασίαν. (13.) Propoſitiones *quædam, ad illuſtrandam* Contagionis *morbiferæ rationem neceſſariò præviæ*; (14.) *accommodantur ad præſens quæſitum, de modo Scorbuti per* effluvia *contagioſa propagandi.* (15.) Effluvia *illa vim* fermento *analogam obtinere*; *conſtaréque maximam partem ex* Sulphureis *atque* Salinis *particulis, jam exerto motu ferventibus.* (16.) *Conjectura, de* affinitate *illa quæ* Scorbuto *cum* Lue Indica *obſervatur intereſſe.*

AD *naturaliter comparandam de re quælibet ſcientiam unica via patet*; *quâ nempe à notioribus ad minùs nota, & à manifeſtis ad obſcuriorum notitiam ratiocinando progredimur*; eſt *Ariſtotelis* (*Phyſic. lib.* 1. *t.* 2.) pronunciatum. Nobis igitur in Scorbuti geneſin & eſſentiam (quantum valet pauxillum illud ingenii, quo præditi ſumus) inquiſituris, per viam inductionis; conſultiſſimum videtur, ab ipſius cauſis *remotioribus* & *externis* exordiri. Hæ enim, vulgi etiam docente experientiâ, notiores exiſtunt proxi- *Art.* 1.

mâ & continente ; quæ poſt anxias eruditiſſimorum Medicorum indagines, lumen adhuc & doctrinam deſiderat. A notioribus itaque auſpicanda iſthæc diſquiſitio eſt. Hinc enim ſperare licet nos tandem aliquando de natura abſtruſiſſimi illius humorum *Miaſmatis*, quod Scorbuto peculiare & proprium eſt, feliciori nonnihil augurio divinaturos.

Art. 2. Quæ ad Scorbuti generationem remotiori quidem, ſed evidenti maleficio conducere obſervantur ; ſunt omnino vel 1. Eorum quibus neceſſariò ſuſtentandæ vitæ cauſâ uti cogimur, vitioſæ diſpoſitiones: vel 2. Morborum præcedentium reliquiæ: vel 3. Hauſtum ex commercio & conſuetudine cum jam inveterato Scorbuto infectis contagium.

Art. 3. Sub *prima* claſſe comprehenduntur res *Non-naturales* Medicis dictæ ; *aer* nempe quem inſpiramus, *cibus* & *potus*, *motus* & *quies*, *ſomnus* & *vigiliæ*, quæ *excernuntur* aut *ſubſiſtunt*, & *animi pathemata*. De quibus ſingulatim inquirendum, qua ratione, quótque modis corpus noſtrum poſſint adeò in pejus immutare, ut exinde, tanquam ab infauſto ſeminio, *Cacochymia Scorbutica* ſubnaſcatur. Et ab ambiente quidem

quidem *Aere* exordiendum; ut qui in τῶν ἔξωθεν προσπιπτόντων, ſeu foris incidentium genere, primum in hac Scena ſibi locum vendicat.

Vitæ ipſius rationem (quantum conjectando aſſequi fas eſt, quippe hîc εἰκάζομεν duntaxat, οὐ μανθανόμεθα) in ſanguinis & πνεύσει, & πνευμάτωσει præcipuè poſitam eſſe vel ſaltem ab utráque neceſſariò pendere; ſummè conſentaneum eſt. Nec minus credibile videtur, *Aerem* inſpirando in pulmonum penitiſſima exceptum, inibique cum permeante ſimul ſanguine commiſtum, ei majorem tum fluiditatem, tum ad proferendos ſuo ex penu ſpiritus vitales promptitudinem (ut de purpurea ipſius tinctura nunc ſileam) elargiri: idque beneficio particularum illarum *Nitro-ſarum*, quibus ipſe prægnans eſt, quæque pro eximia ſuî tenuitate, penetrabilitate, mobilitate, & ad expanſionem proclivitate, ſanguinem blandis quidem, & ſpirituum ſublimationi convenientibus, ſed velocioribus motibus exagitent, & tum micare, tum quaſi fermenteſcere cogant. Item veriſimile videtur & illud; ejuſdem ſanguinis *impuritates quaſdam* ex intimis pulmonum receſſibsu, per tubulos pneumaticos, unà cum inſpirati aeris reliquiis, inter ex- *Art.* 4.

pirandum explodi; tam denſis utique agminibus, ut conjicere fas ſit, ἄδηλον illam διαπνοὴν (quæ tamen, dum frigore cœlum horret, ἄδηλος non eſt) non minore forſitan proventu è pulmonibus ſolis, quàm è toto reliquo corpore prodire. Cæterùm quoties in aere vitioſum quid ineſſe contingit, unde is minùs aptus evaſit uſibus his reſpirandi ritè explendis; toties ſanguini deeſt requiſita ad ipſius perfectionem *puritas*, *micatio*, & *ſpirituaſcentia*. Ita ad *Scorbuti* geneſin facit aer, ubi vel excedentibus modum *frigore* & *humiditate* denſatus eſt, vel aliunde exceptis *inquinamentis* corruptus. Unde uſu venit, ut locis Boreæ patentibus, uliginoſis, paluſtribus, lacuſtribus, maritimis Scorbutus maximè familiaris ſit. His enim circumfuſus aer utplurimum Aquilonius eſt, frigidus, humidus, craſſus, ſalſuginoſus, maris vaporibus & exhalationibus, & id genus aliis inquinamentis gravis; qui inſpirando attractus, ſanguinique admiſtus, eum craſſiorem, fixiorem, & ad πνευμάτωσιν concipiendam inhabiliorem reddit. Et inconſpicua cutis ſpiracula conſtringendo conſtipandóque, perpetim ex ſanguinis flumine exſurgentes halituum nubes, aliàs per tranſpirationem inſenſibilem evolaturas, reprimit, introrſumque repellit: quæ

ſic

ſic retentæ, in ſanguinem mox revertunt, eumque & mole adaugent, & incongruis recrementorum reliquiis inquinant. Huc faciunt quoque inſalubres ædium calce recens obductarum exſpirationes; & in Carcerum, fornicum, ſpeluncarúmque anguſtiis concluſus, nec ſolutus ſyderū luce aer. Qui gravi humore paſſim interſperſo piger, omníque ferè vi *Elaſtica* ſeu expanſiva deſtitutus; utrumque ſanguinis motum, *circularem* nempe, & *Diaſtalticum*, impedire atque retardare aptus eſt. Hincque fit fortaſſis, ut non ſolùm Dyſpnoici, verùm & proſperâ valetudine utentes, humidis tempeſtatibus ægriùs ſpirent: hocque, vel quia pulmones ab uvido cœlo magis infarciuntur; vel quia Atmoſphæra forinſecus thoraci graviùs incumbit; vel ſaltem ob utriuſque cauſæ concurſum. Non fuit itaque de nihilo quod Medicinæ parens, *Hippocrates*, Ἀεθρώπε Ψυχὴν αἰεὶ φύεσθαι, *animam humanam ſemper naſci*, pronunciavit: quódque *Ariſtoteles* pariter ſenſit, τὸ ζῆν ἐν τῷ ἀναπνεῖν καὶ ἐκπνεῖν, *vitam ipſam in hauriendo, ac reddendo ſpiritu* ſitam eſſe.

Aeri proximè ſuccedunt *cibus* & *potus*, quorum vitia, ad morbum hunc producendum, pari, ne dicam majori maleficio conferunt. Experientiâ enim compertum *Art.* 5.

eſt, Scorbuto præ aliis maximè tentari eos, quibus alimenta ſale ac fumo indurata, craſſa, viſcida, terreſtia, nautica atque id genus alia, quæ nec facilè digeri, nec ad ſtatum ſummæ fluxilitatis citò perduci norunt, diutino in uſu ſunt; ſeu ex meliorum penuria, ſeu in crapulæ lenocinium. Idem malum incurrunt etiam, qui pane ad perennitatem bis cocto, nec probè aſſervato, vel ex ſubmucido & ad putredinem vergente frumento confecto, per egeſtatem veſcuntur: quoniam hujuſmodi panis, ut propè exſuccus eſt, & perpauci alimenti; ita & excrementis abundat craſſis, fixis, neque à Chylo venas Lacteas demum ingreſſuro niſi difficulter ſeparandis. Item quibus vina Polygophora, & ſpiritus ardentes ſunt in deliciis: utpote ex quibus confertim ſcaturientes particulæ Salinæ & Sulphureæ, Sanguinem, Succúmque Nutritium fœdâ ranciditate inficiunt. Adjice & illos, qui Oxygari, omphacii, acetariorum, aceti, &c. ejuſdem commatis condimentorum uſu, languenti per luxum ſtomacho malè conſulunt. *Acida* quippe omnia, dum Chylum & ſanguinem acore imbuunt, ſtrenuè faciunt ad productionem *Melancholiæ Hypochondriacæ*; quæ *Scorbuto* adeo affinis eſt, ut non niſi gradibus quibuſdam ab eo differre videatur. Sub eodem

eodem cenſu cadunt inſalubres *potus*, *aquæ* nimirum corruptæ, craſſæ, fæculentæ, graves, ſubſalſæ; vina acida, turbida, ſubauſtera, pendula, rancida; *Cereviſia* novella, minùs rectè cocta, infermentata, vitioſo ex Malto parata, vetuſtate aceſcens, alióve ullo modo corrupta. Horum nempe omnium materia ita comparata eſt, ut fæculentis, craſſis, melancholicis, ac tartareis, *i. e.* ſalſo-terrenis ſuccis originem atque fomentum præbeat; & illam quam in alimentorum concoctione *Hippocrates* cum Natura exigit, ζύμωσιν & μετεωρισμὸν ſeu πνευμάτωσιν, impediat: iiſque nominibus Cachexiæ Scorbuticæ fundamenta ponat.

Tertio loco veniunt *Motus* & *Quies*, ſuas quoque Symbolas infauſtas, nonnunquam ad *Scorbuti* productionem conferentes. In *Motu* autem commiſſi errores, in ipſius vel *exceſſu* conſiſtunt, vel *importunitate*. In *Exceſſu*, ubi corpus vel nimis violento, viriúmque εὐφορίαν tranſcendente; vel diutiùs quàm par eſt continuato labore exercetur. Utroque enim in caſu, ſpiritus tum Vitales, tum Animales (hoc eſt, puriſſimæ, ſubtiliſſimæ, mobiliſſimæ, atque ad ſummum fluxilitatis gradum jam tum evectæ ſanguinis particulæ) diſſipantur & exhauriuntur. Unde & univerſa *Art.* 6.

niverſa ſanguinis maſſa citò depauperatur, Nervorúmque roſcidus liquor, nutriendis partibus comparatus, rapidè colliquatur & abſumitur: in utrinque ſucceſſuri Scorbuti apparatum; quemadmodum ex brevì dicendis luculenter conſtabit. In *importunitate*, quum exercitio nos malè multamus intempeſtivo; mox à paſtu nimirum, vel dum pravis ſuccis adhuc corpus ſcatet. Hinc enim efficitur, ut Chylus ex dimidio tantùm coctus, nec dum ab excrementitiis ſuis partibus ſat repurgatus, in Meſenterii glandulas, indéque per ductus *Pecquetianos* in ſanguinis ad cor redeuntis confluvia rapiatur; unà cum aliis, ſi quæ in viſcerum confiniis exiſtunt, impuritatibus: unde corruptâ ſanguinis puritate, exoritur Cachexia, & obſtructiones, Scorbuti haud rarò parentes. Sapienter itaque *Galenus* (2. *de Sanit. tuend. cap.* 2.) *Non debet*, inquit, *cum adminiſtratur exercitium, crudi incoctique cibi, aut ſucci multitudo vel in ventriculo, vel in vaſis contineri: unde periculum ſit, ne priùs quàm per maturam coctionem utilis ſit, in omnes animalis partes rapiatur.*

Art. 7. *Quies* verò nimia, ſeu plùs æquo intermiſſum corporis exercitium, multo frequentiùs

quentiùs, & pluribus utique modis Scorbuto ſementem facere ſolet. Scilicet, *Chyli* per anguſtiſſimos Lactearum anfractus diſtributionem remoratur; *Sanguinis* circuitum, fluiditatem, micationem impedit, utriuſque familiæ *ſpiritus*, vitæ putà & functionum animalium præſides, craſſos, torpidos, adque ſe expandendum ineptos reddit; & impedimento eſt, ut neque *Succus Alibilis*, per imperceptibiles quidem, licet apertos Nervorum canaliculos, in partes exinde reficiendas ſatis liberè diſpenſetur; neque ejuſdem ſuperfluitates ad Glandulas ſive *Emunctrices*, ſive *Reductrices* tempeſtivè regerantur. His autem de cauſis, neceſſum videtur, ut uterque liquor, ſanguis nempe, ſuccusque Nervoſus, à debita ſui generoſitate degener factus, variiſque ſimul fæculentiis refertus, ſenſim dyſcraſiam ſubeant excitando Scorbuto opportuniſſimam. Hinc fit, ut qui delicatè vivunt, magis Scorbuto obnoxii ſunt, quàm qui laboriosè, fæminæ, viris; urbani, agricolis. Studiosè igitur ſibi provideant *Eruditi* (ut otio & ſocordiâ torpentes, ceu telluris inutile pondus, indignanter præteream) ne dum ad libros anxiè ſedent, Muſarúmque ſacris noctes atque dies operantur, ſe in mali hujus, quod vitam ſedentariam

tariam agentibus ſemper impendet, diſcrimen infeliciter conjiciant.

Art. 8. *Quartam* in hac tragœdia ſcenam merentur *Somnus* & *Vigiliæ*; ex quibus modum ſupergreſſis, eadem ferè, atque ab immoderatè uſurpatis Motu & Quiete, incommoda Scorbutum minitantia emergunt. *Somnus* enim (definiente *Ariſtotele*) eſt Στέρησις τις τῆς ἐγρηγόρσεως, *quies quædam, & privatio vigiliarum*, ſeu exercitii ſenſuum: *vigiliæ* autem in ipſo ſenſuum motûſque exercitio conſiſtunt: ac proinde neceſſum eſt, ut quæcunque ex diutiùs intermiſſo corporis exercitio profluere modò diximus mala, eadem quoque à ſomno diutiùs continuato dimanent; exque vigiliis immoderatis eadem, quæ à nimio motu ac labore.

Art. 9. Heic etiam pro tribunali adducenda ſunt, quotquot præter morem in corpore *ſubſiſtunt*. Quandocunque enim contingit, ut quodvis eorum, quæ ex naturæ inſtituto, ſeu periodicè, ſeu ad incerta temporis intervalla, tanquam corporis ſanitati non ampliùs utilia, evacuari debent, ſupra modum ac tempus conſuetum retineatur: fieri vix poteſt, quin Oeconomia animalis inde perturbetur; idque magìs vel minùs

minùs, pro ſuppreſſi humoris indole, proque dignitate partis quam is inundârit. De variis *recrementorum* in corpore humano perpetim ſuboleſcentium generibus, deque numeroſis *Affectibus*, qui ex eorum ſingulis conſueto diutiùs retentis ſuppullulare ſolent; nos olim (*in Exercit. Pathologicis*) ex profeſſo fuséque egimus. Ut cuivis quæ in *Exercitatione nona* libri illius tradita ſunt attentiùs conſideranti, haud difficile ſit exinde colligere, qua ratione, & quatenus præcipua ex illic enumeratis excrementis, indebitè ſuppreſſa, ad *Cacochymiæ Scorbuticæ* inductionem facere poſſint. Hac igitur occaſione nobis aliud nil heic addendum reſtat, præter illud unicum; *communem* nempe rationem, qua ſuppreſſæ præter conſuetum evacuationes videntur ad *Scorbuti* generationem conducere poſſe, vel in *eo* conſiſtere, quòd ita retentæ impuritates, ſanguinem juxta ac ſuccum Alimentarem inquinant; vel in *eo*, quòd eædem publicas vias, interioresque viſcerum ductus obſtruendo, Nectaris vitalis circulationem motúmque expanſivum cohibent atque impediunt; vel ſaltem in *utroque*, ut ſæpiùs uſu venit. Ita in fœminis *Menſium*, *Hæmorrhoidúmque* in viris ſuppreſſio, ſæpiſſimè & occaſionem Scorbuto dedit & rudimenta: toto ſanguinis

guinis flumine impuritatibus illis, quas ex utero, aut locis ſedi vicinis abluerat, quæque menſtruatim prorſus debebant eliminari, corrupto contaminatóque. Ita ſimiliter humores, erumpens ex *Ductu Cholidoco* bilis effera, miaſmate ſulphureo & amarulento interdum inficit, adeóque Scorbuto exinde mox orituro occaſionem ſimul & ſeminium præbet.

Art. 10. Cæterùm in univerſo rerum *Non-naturalium* ordine, nihil certioris efficaciæ eſt ad homines in Tullianum Scorbuti præcipitandos, quàm illa *Animi Pathemata*, quæ *Epicurus* noſter (bone Deus, quantus, quàm ſanctus vir!) generatim retulit ad Ἀλγεδόνα, & in quibus ſpiritus & ſanguis, proxima Animæ inſtrumenta, introrſum moventur Συσταλτικῶς, *i. e.* per modum *contractionis*; tanquam de malo quodam præſenti anxiæ, ſeque ab eo vindicare conanti Animæ ſuppetias allaturi. Et in hoc genere, ingratiſſimus ille Animi languor, qui ex opinione mali jam urgentis oritur, quemque *Triſtitiam* vocamus, merito ſuo primas tenet. Nam ſpiritus intrò paulatim retrahit, ita ut ſanguis ſufficienti eorum influxu deſtitutus, nec ſat agitatus ad ſui expanſionem; lento nimis motu cordis penetralia pertranſeat

tranſeat: utque quaſi vincula ſentiantur circa cor ipſum, quæ orificia ipſius coarctant; ac veluti ſtiriæ, quæ ſanguinem congelare videntur. Hoc pacto incraſſatus, depauperatus, lætóque ſuo genio exutus *ſanguis*, in liquorem effætum, ſubacidum, & coagulationi pronum degenerat; eoque nomine inſignem *Melancholiæ*, quæ πρῶτον ἀρχικὸν videtur *Miaſmatis Scorbutici* eſſe, proventum exaggerat. Eadem paſſio inſuper & *Succum Nutritium*, corrupto priùs Chylo, generoſa atque balſamica ſua indole ſpoliat, & in illætabilem quaſi vappam aut garum tranſmutat. Eſt igitur, quòd credamus *Engaleno* (*de Scorb. p.* 3.) ſcribenti, *Quos cum craſſiore victûs ratione diuturnior Mœſtitia exercuit, de his ægrotantibus ſe conſtanter prædicere auſum fuiſſe, eos Scorbuto vel ſolo, vel aliis morbis permixto teneri*: & Doctiſſ. Williſio *noſtro, qui obſervat, homines, propter occaſionem aliquam, luctu ingenti perculſos, & deinceps diu mœſtos, Scorbuticos tandem fieri.*

Quæ hactenus curſim examinavimus, etſi ſeorſim aſſumpta, & ſuo quodque maleficio in corpus humanum agentia, ad Scorbutum in eo producendum ſufficiant: multò faciliùs tamen ac promptiùs id ſolent præſtare *Art.* II.

præſtare, ubi *morbus aliquis præcedens*, vitioſum quodvis, nec niſi longo tempore delebile ſui veſtigium, ſeu ſanguini ac ſucco Alimentari, ſeu alicui ex viſceribus præcipuis impreſſum reliquit. Ita ſæpe *Febribus* tam continuis quàm intermittentibus, maximè ubi diuturniores ſunt, Scorbutus à tergo ſuccedit: hocque potiſſimùm fortaſſis ex eo, quòd ſanguis febrili incendio aduſtus, ſulphuréque ſuo puriori orbatus, tum ſale in fluorem evecto inſigniter infectus, in ſalſum, muriaticum, & lixivii æmulum ſuccum degeneraverit. Hic enim ingratiſſimo *ſalſedinis* prædominio ſubjectus, ſuoque ita ingenio ad πνευματωσιν comparato exutus: & ægrè ſuum deinceps peragit circuitum, & *Miaſma Scorbuticum* ſibi facilè contrahit; quin & labem ſuam non ſolum partibus quas alluit ſolidis, aſt & ſucco etiam *Nutritio* in ipſas delato, indéque redeunti *Lymphæductuum* liquori ſenſim communicat. Ita pariter Scorbutus affectionem *Hypochondriacam* ſæpiſſimè aut comitatur, aut excipit: Melancholicâ, id eſt, *acidâ* aut *ſubauſtera* ſanguinis dyſcraſiâ, tandem in Scorbuticam tranſeunte. Ita denique nonnunquam è *Chylo*, ob ventriculum malè affectum, fermentóve alieno imbutum, imperfectè cocto, aut inter coquendũ corrupto

rupto, Scorbutus exoritur: Chyli vitiis tum ſanguini, tum balſamico Nervorum liquori mox communicatis. Sunt & alii adhuc morbi ex numero *Chronicorum*, unde malum hoc πολυγενὲς primordia ſua ducere poteſt & ſolet; ſed infinitus eſſem, ſi ipſum ad omnes ſuos fontes perſequerer. His igitur conſultò prætermiſſis, ad illud cui in iſthoc Scorbuti remotiorum foríſque incidentium cauſarum catalogo ultimum aſſignavimus locum, *Contagium* ſcilicet, progrediemur; hîc addito priùs, ex abundanti, hoc unico notatu digniſſimo.

Eſſe nimirum *nonnullos*, *qui ad concipiendum intra ſe Scorbutum cæteris ſint longè procliviores*; idque proculdubiò ratione τῆς ἰδιοσυγκρασίας, qua ludens Natura ipſos donavit. In quo autem iſta *diverſitas* dicam, an *proprietas* fundatur; utrum in quodam corporis *temperamento* illis peculiari, & miaſmati Scorbutico magis affini; an in *vaſorum* Chyli, ſanguinis & ſucci Alimentaris hinc illinc tranſmiſſioni inſervientium, *exilitate* & *anguſtia* (ob quam craſſi ac fæculenti humores faciliùs in iis hærere atque ſtagnare poſſunt;) an denique in alia aliqua *fabricæ* ſingularitate: perarduum ſanè eſt, ſi

Art. 2

non prorſus impoſſibile, definire.

Art. 13. Cæterùm utcunque ad Scorbutum diſponat latens nos iſthæc ἰδιοσυγκρασία, equidem quamplurimorum ſexu etiam, conſtitutione, ætatéque & vitæ præterea genere inter ſe imparium haud levi damno compertum habemus; plures id ſibi malum *Contagio*, quàm ex alia ulla ex modò dictis cauſis forinſecùs advenientibus, contraxiſſe. Commodum igitur & conſentaneum eſt, hîc ſtrictim exquiramus, *qua ratione morbus hic*, quem ſuo modo *malignum* eſſe ſuprà notavimus, *ab alio in alium*, contagionis *interventu*, *traducatur*. Quod ut feliciùs præſtare poſſimus, rémque ab ipſis Phyſiologiæ ſanioris principiis paulo altiùs deducere; quædam nobis occurrunt, propoſitionum loco præliminarium, præſtruenda.

Primum eſt, effluere continuò è concretionibus quibuſcunque, ut ut ad ſenſum ſolidis, multóque denſiùs è corporibus Animantium, corpuſcula quædam; quæ in aerem circumfuſum excepta, circumcirca veluti nebulam ſeu Halonem, ad extremum diffuſionis ſuæ, conſtituunt.

Secundum eſt, corpuſcula iſta, ſeu (ut cum *Epicuro* noſtro rectiùs loquamur) *Atomorum*

Atomorum moleculas, concretionum earum quibus recèns decesserint, naturam & conditiones usque eò resipere; ut quæ è corpore insigni aliqua virtute ac efficacia prædito effluxere, eandem ipsæ in se separatim tueantur retineántque illibatam. Omnis enim concretio, majorem utique minorémve energiam sortitur, pro majori minoríve particularum quibus constat, mobilitate & activitate. Ita fit (ut *Magnetica* & *Electrica* transiliam) ut à Sulphureis ac Bituminosis, qualia sunt Succinum, Ambra grisea, Camphora, Bitumen, Moschus, &c. avolantes moleculæ totam viciniam odoribus repleant.

Tertium est, Animalium morbo quovis contagioso laborantium corpora, à se perpetim emittere non solùm vapores sive halitus, quos *Græci* νοσηρὰς ἀποκρίσις & ἀποβολὰς, *morbidas expirationes* vocant; verùm *inquinamenta* etiam quædam velutíque semina, *Hippocrati* proinde μιάσματα & σπέρματα dicta: quæ originis suæ indolem malignam planè pleneque referentia, ubi se, sive per contactum, sive deferente aere, in corpora quidem alia, iis tamen unde ipsa profluxerint analoga latenter insinuarunt; sensim in ea morbum ejusdem speciei introducere valeant. Id quod in Peste fieri, sole meridiano clarius apparet.

Quartum ultimúmque eſt; Miaſmata illa ex integro æmulari naturam & activitatem *fermenti* (cujus exigua tantùm portiuncula grandi farinæ cumulo admiſta, blandóque caloris fotu excitata, totum mox fermenteſcere facit) parique virtute ac modo agendi inſigniri; ita ut corpori cuivis analogo tacitè communicata, ſanguinem ipſius reliquóſque humores in ſui naturam cõvertere poſſint, eóque pacto eidem morbum inducere ejuſdem ſpeciei cum illo, quo prius affectum corpus, unde dimanarint, laborabat.

Art. 14. Jam verò in medium adductis his, de ratione Contagii in genere; ad ſolvendum præſens quæſitum, de modo propagandi ex alio in alium Scorbuti, preſſius accedam; rémque paucis expediam. Quum igitur Scorbuto graviter inquinata corpora (quippe his ſolis morbus jam *in facto* eſſe videtur) à ſe, jugi fluore, emittant *Miaſmata*; quæ licet mole quidem perexigua, maximæ tamen energiæ ſint, & activitatis, ut è fonte maligno expirata; quæ item pravam ejuſdem fontis indolem per omnia referant; quæque præterea quamproximè accedant ad naturam fermenti, ſi vim modúmque agendi ſpectes: cum hæc, inquam, ita ſe habeant, veriſimile

mile eſt, derivari ab infectis in ſanos Scorbutum, per ſubtiliora effluvia de illis in hos tranſmigrantia; quæ excipientium ſanguinem ac Succum Nutritium fermentando alterant, inquinant, maleficóque ſuo genio ſenſim quaſi imprægnant; ſicque Scorbutum denuò producant.

Porro quoniam *fermenti* cujuſvis virtus & energia precipuè, ſi non unicè, debetur ſpirituoſis illis, tumultuoſóque & exerto motu ferventibus particulis, ex quibus moles ipſius, utcunque exigua, maximam partem conflatur; taléſque ex miſtorum *ſoluto Sulphure*, *Saléque* ad ſummum fluxilitatis apicem deducto, quàm è cæteris ea conſtituentibus principiis, copioſiùs multo emergere, notum eſt: videtur ſanè veriſimillimum, *Scorbuto* proprium illud ac peculiare *Miaſma*, cui vim & efficaciam fermenti morbiferi attribuimus, & ex hujuſmodi *Sulphureis* atque *Salinis* particulis, actu jam tumultuantibus, motúque ſubtili æſtuantibus, conſtare; totúmque contagii opus moliri ac perficere, non aliâ, quàm quæ ab iis ſolis exeritur, potentia & energia. Hæcque inſignis adeò eſt, ut haud multùm intereſſe videatur qua via, quóve vehiculo miaſma ipſum fuerit ab infectis in ſanos tranſlatum; u- *Art.* 15.

um nempe à viro in mulierem, aut ab hac in illum, per *tactum* (in coitu) *ſpermaticum*; an deferente *ſemine* à parentibus in prolem; an conſortio *lactis* à nutrice ad infantem; an per *anhelitum*, *Salivam*, *Sudores*, extillantem ulceribus *Saniem*, &c. quæ Scorbuticorum corporibus decedant. Accepto enim ſemel Miaſmate, fermentativam ſuam mox exercere incipit potentiam in Sanguinem Succúmve Nutritium, vel utrumque; quáſque in alterutro incurrit *Sulphureas*, & *Salinas* particulas, ut ſuis *Symbolicas*, ſupra modum evehendo, univerſam liquoris maſſam corrumpit, ſuóque faſcino inficit.

16. Mirari tamen ſubit, unde haud rarò contingit, tum *lue Venerea* infectorum liberos cæteris degere *Scorbuto* magis obnoxios; tum utrique morbo communia quædam Symptomata eſſe, ut nonnunquam vel expertiſſimis Medicis perdifficile ſit alterum ab altero diſtinguere. Nec ænigmatis hujus commodiorem ſolutionem (arbitror) quis facile afferet, quàm ſi conceſſerit, Miaſma Scorbuticum quamproximè accedere ad naturam indolémque illius, quod lue Indica correptis impreſſum eſt, quóque eadem contagioſa fieri nec ſine ſontica cauſa perhibetur. Huic enim cum illo magnam

nam intercedere cognationem & analogiam, ex utriusque effectibus inter se compositis conjectare fas sit. Atque hæc quidem dicta sint de *Scorbuti causis forinsecus* corpori obvenientibus: quas ideo cursim ac leviter pertransivimus, ne aut adstricti ad compendium instituti nostri parum meminisse videremur, aut Lectori tædio esset prolixitas.

Cap. IV.

De Causa Scorbuti Proxima & Continente.

SUMMARIUM.

Artic. (1.) *Transitio à causis Scorbuti Remotioribus, ad* Proximam & Continentem, *ex eis denique exsurgentem*; (2.) *quam non semper* unam, *nec* simplicem *esse*; *sed* variam & complexam *indicat affectuum inde sobolescentium varietas.* 3.) *Scorbuti* tria *constituuntur* genera *præcipua*: (4.) *quæ ad mentem* divi Hippocratis, *quantum res ferat, illustrantur.* (5.) *Affertur ex eodem* Hippocrate *textus quidam eximius, magnique ad dignoscenda Scorbuti* natalia *momenti.* (6.) *Inhærere sanguini alimentorum* ἄκρητα καὶ ἰσχυρά. (7.) *Quas in partes* heterogeneas *sanguis illicò ab effusione, analysi* spontanea *revertatur*: (8.) *quas exhibet per* ignem *resolutus.* (9.) *dictorum clausula.*

Quibus

QUibus ex cauſis forinſecus corpori ad- *Art.* 1.
venientibus ortum ſuum Scorbutus utplurimùm ducit, hactenus examinavimus. Et proximo loco adminiſtranda noſtræ hujus provinciæ pars, in eo potiſſimùm ſita eſt, ut facto à notioribus ad obſcuriorum indagationem progreſſu, ſtrictiori ſcrutinio inquiramus, quæ ejuſdem *proxima* ſit, & *continens Cauſa*, quam iſtæ remotiores malefica ſua in toties memoratos humores, *Vitalem* nempe & *Alibilem*, energia producere aptæ natæ ſunt; ſeu ut preſſiùs loquamur, quænam ſit Miaſmatis Scorbutici *eſſentia* & ὕπαρξις. Hâc enim ritè inveſtigatâ, plus lucis ſimul & fidei adſtruemus iis quæ deinceps de ſeriatim ſolvendis morbi hujus Phænomenῶν præcipuis, déque iiſdem ex artis *Hippocraticæ* methodo ac doctrina curandis, venient dicenda.

Ex poſitis ob oculos effectibus, de cau- *Art.* 2.
ſarum natura ſi non ſcienter judicium ferre, at ſaltem ratiocinando πιμαίρεσθαι licet: & quid quæque vis effecerit, ex ipſo genere injuriæ intelligitur. Ex permagna igitur illa, quam ſuprà notavimus, Scorbuto vel conjunctorum, vel mox ſupervenientium affectuum varietate; fas eſt genuina inductione colligere, ipſum non ſemper ab una aliqua ſingulari & ſimplici cauſa proxima exoriri ac dependere; aſt à mul-

à multiplici, quæ ſuam ὑπαρξιν καὶ οὐσίαν, pro diverſâ elementorum primiceriorum complexione variat. Quid enim, niſi complexum, peſti adeò πολυμιξίαν producendæ ſufficiat? In his equidem *ſanguini* præcipuè inhæret infauſta labes: illis de nectarea ſua dulcedine dejectus vitiatur præ cæteris *Succus Nutritius*: aliis *uterque* ex æquo inquinamenti participes fiunt. Adhæc, tempus eſt, ubi utriuſque liquoris *Sulphureæ* particulæ, initâ cum fixis ac ſalinis quibuſdam ſocietate, dominium uſurpant in cæteras omnes: eſt item quum ferociunt, &ad tyrannidem aſpirant *Salinæ*: dantúrque plures, quorum in ſanguine pariter atque ſucco alimentari eximius *acor* inauſpicatò regnat: Sunt denique in harum unaquaque factionum ſeu intemperierum varii *gradus*, quibus ab invicem haud minùs diverſificantur. Ut tantam effectuum varietatem ab una eadémque dyſcraſia, quæcunque ea demum eſſe ſupponatur, deducere impoſſibile videatur: & perarduum, ſuam cuique efficientem indubitanter aſſignare. Vix equidem plura *Sulphurum Saliúmque* genera in Hermeticorum ergaſteriis, quàm in ſanguine Scorbuticorum eſt reperire. Hic enim in his, gravem *Sulphuris* mephitim olet; in illis, ad *Tartari* figentem ſalſedinem propiùs

piùs accedit; aliis, ſtypticam refert *Calcanthi* aciditatem; aliis, *Alumen* ſimulat; nec deſunt quibus à genio ſuo vſque eò abhorret, ut corroſivam *aquæ Stygiæ* atrocitatem induiſſe reputetur. Et de *Succo* quoque *Nutritio* idem prorſus exiſtimandum. Communia enim utriq; liquori eadem vitia eſſe neceſſium eſt: altero alterum, dum in intimis partium receſſibus concurrunt, inficiente. Tot itaque Scorbuti ſpecies ſeu *differentias* ſupponere licet, quot ſint vitioſæ ſanguinis tincturæ, è diverſis ſalibus, horúmque tam inter ſe, quàm cum cæteris illius elementis primiceriis diverſimoda combinatione oriundæ. Omnium non inibimus cenſum; ne in immenſum excreſcat dicendorum ſeges. Et noſtro inſtituto ſat erit, paucas, eáſque eximias à ſuis uſque primordiis qua licet veriſimilitudine deduxiſſe; ut quibus vacat & placet, pro ſua quiſque ſagacitate de reliquis certiori augurio divinet.

Mihi igitur ab effectibus inter ſe manifeſto diſcrimine differentibus, de cauſarum diverſitate conjecturam deſumenti, *tria* Scorbuti *genera præcipua* videntur conſtituenda. *Unum* ſcilicet, cui pro cauſa proxima & continente eſt ea ſanguinis intemperies & impuritas, in qua *Sulphureæ* *Art.* 3.

phureæ ipſius particulæ, initâ cum paucioribus ex *Salinarum* cenſu conſpiratione, cæteris omnibus præſunt. *Aliud*, ubi ſuppreſſo velutíque ſub jugum ſerviliter miſſo Sulphure puriori, *Tartareæ* ſeu *Salino-Terreſtres* principatum in ſanguine tenent, ejúſque πνευμάτωσιν impediunt. *Tertium*, quod ortum ſuum juxta ac fomentum debet eximio ſanguinis *Acori*; quando ad fluorem jam tum adſpirantes, ſibíque communi miſtionis vinculo aſſociatas cæteras ſua libertate multantes particulæ *Salinæ*, univerſam ſanguinis maſſam infenſiſſimâ imbuerunt *aciditate*.

Art. 4. At tibi fortaſſis, generoſe Lector, ingratum eſt, ſic ad factioſa *Chymicorum* elementa revocari: auréque minus averſa hanc doctrinam accipies, ſi vocibus tradetur ad dialectum *Hippocraticam* accommodatis. Scias igitur, ſi ita tibi videtur, *primi* generis Scorbutum poſſe ad efferæ *Bilis* exuperantiam; *ſecundi*, ad ſalſuginoſi præpollentiam *Phlegmatis*; & *tertii*, ad immanitatem *Melancholiæ* haud incommodè referri. Vide ſis tamen, ne ullum exiſtimes ex tribus hiſce veterum humoribus, ut ut in ſanguine luxuriantem, producendo Scorbuto ſuffecturum; niſi peculiarem quandam ἄῤῥητον κακοηθείαν, ſeu

ſeu non niſi ab effectu dignoſcendum corruptionis modum priùs ſuſceperit. Quamplurimi enim viſcerum obſtructione, & humoribus melancholicis laborant, qui Scorbuto non afficiuntur: & in iis regionibus, quibus bilioſi humoris ex aëris fervore collectio eſt familiaris, Scorbutus ignotus eſt. Idem inſuper & præcipuè apparet ex Scorbuti contagio, quo alii morbi tam bilioſi quàm phlegmatici & melancholici planè deſtituuntur. Sed cauſæ cardinem hæc non attingunt: magíſque expedit, ut ad modò dicta revertamur principia Chymicorum; utpote quæ ad Scorbuti geneſin ritè enucleandam multo plus lucis afferant, quàm cuiquam liceat ex chimærica humorum quadriga Galenicorum haurire. Quod ex ſequente rationum contextu luculenter conſtabit.

Extat apud oraculum noſtrum, *Hippocratem*, de morborum primordiis ſapienter, & tanquam ex Apollinis dictamine diſſerentem, textus quidam percelebris, quique præſenti huic noſtro de recèns aſſignatis Scorbuto cauſis ſcrutinio lucem ſimul & autoritatem præferat digniſſimus. Sic verò iſte, in lib. *de veteri Medicina*. Ἔστι γὰρ ἀνθρώπῳ καὶ πικρὸν, καὶ ἁλμυρὸν, καὶ γλυκὺ, καὶ ὀξὺ, καὶ στυφρὸν, καὶ πλαδαρὸν, καὶ ἄλλα μυρία *Art.* 5.

μυρία παντοίας δυνάμιας ἔχοντα, πλῆθός τε καὶ ἰσχύν. Ταῦτα μὲν μημιγμένα καὶ κεκρημένα ἀλλήλοισιν, ὅτε φανερά ἐστιν, ὅτε λυπέει τὸν ἄνθρωπον. Ὅταν δὲ τὶ τουτέων ἀποκριθῇ, τότε καὶ φανερόν ἐστι, καὶ κυπέει τὸν ἄνθρωπον, &c. Quorum hanc ego paraphrasin tibi officiosè offero. Cùm animalia ex plantis nascantur, plantæ suum è terra hauriant alimentum, hæc autem in se Sulphuris, Saliúmque diversorum ingentem vim contineat: necessum est, ut alimenta quibus nos homines vescimur, ἀνεπιτήδια, ἄκρητα καὶ ἰσχυρὰ, ut idem *Hippocrates* appellat, multa in se contineat Mineralium effluvia; quæ cùm nullo modo corpori in alimentum cedere possint, nec ita immutari, ut in sanguinem non deriventur; inibi manentia, morborum causæ fiunt. Idque quatenus *amara*, *salsa*, *acida*, aut *acerba* sunt, & id genus alias δυνάμεις calori nostro insuperabiles habent: quumque quid horum à benignioribus secretum, se manifestat, hominem lædendo.

Art. 6. Post absolutas quam felicissimè ciborum concoctiones, adesse tamen & immanere particulas quasdam inalterabiles, quarum suggestu sanguis imbuitur; ita in promptu est, ut disputatione non indigeat. *Chylo* namque tales inesse, assumptorum in vitæ sustentamen qualitatibus diversis undique

dique reſpondentes; certiſſimum eſt vel ex variis inde emergentium Excrementorum generibus, quorum maturæ evacuationi per cuique convenientiſſima loca naturæ proſpexit ſolertia. Inſunt nempe *terrea*, *aquea*, *ſpirituoſa* ſeu volatilia, *acida*, *ſalſa*, *oleoſa*, *viſcida* & ſi qua alia ſint, ἄκρητα καὶ ἰσχυρὰ quæ vocat *Hippocrates*: quorum ex complexione Chylus conficitur, ventriculo in illa quà calore, quà fermento ſuo ſubacido inter coquendum agente. Subdita quidem cæteris potiſſimum *terrea* & *aquea* ſunt: *ſpirituoſa* ſocietatem ineunt cum *acidis*, reciprocæ contemperationis ergò (coercetur enim acidi vigor dulcedine volatili exundante: ſicque vini ſalíſque ſpiritibus per repetita cohobia exſuſcitatur dulc-aciditas) *acida aqueis* promptè diluta aſſociantur, *ſalſáque oleoſis*, utraque *terrenis* amica: *viſcida* verò ab *acidis* atque *ſalinis* inter ſe odio pluſquàm vatiniano colluctantibus diſtrahi ſolita, potiſſimùm *aqueis* immerguntur. Horum tamen nihil non aliquota ſui parte remanet in Chylo immutatum.

Sanguini etiam eadem inhærere, quamplurimis experimentis in ipſius tum *ſpontanea*, tum *Chymicorum igne* coacta *analyſi* factis, extra omnem dubi- *Art.* 7.

tandi

tandi aleam poſitum eſt. In eo enim foras emiſſo, inque pelvim excepto, evaneſcente mox ſpiritu vitali, illius utique conſervatore; partes quædam vel ad ſenſum *heterogeneæ*, & ſua quæque in loca ſeorſim ſecedentes, conſpiciuntur. Primò ſcilicet à ſanguine in *cruorem* tranſit; paulo poſt in partes *rubras*, & *albicantes*: partéſque rubræ *ſuperiores*, ſunt intenſiori *purpura* tinctæ; inferiùs autem ſitæ ad *nigredinem* vergunt. Adſunt partes porrò aliæ *viſcidiores*, & fibroſæ; quæ reliquis vinculi communis vicem præſtant: aliæ *ichoroſæ*, & ſeroſæ; quibus coagulatus deinceps thrombus innatare ſolet, quæque inſpiſſabiles ab igne, & coagulabiles ab infuſo acido ipſæ exiſtunt. Atque in hoc *ſerum* ſanguis tandem ferè totus diſſolvitur. Adeſt item nonnunquam, maximè paulò poſt paſtum, *ſubſtantia* quædam *denſa* & *ſubalbicans*; quæ cum primis grumeſcens, ac reliquis ſuperiorem occupans locum, gelatinam ex Cornu Cervino, aut albumen ovi craſſius planè refert. Hæc non *crudior* (utì voluit *Ariſtoteles*) non *frigidior* (ſicut Medicorum vulgo, pituitæ neſcio cujus imagine per inſomnia decepto placuit) pars ſanguiuis æſtimanda eſt; aſt pro *nobiliori*, & magis *ſpiritali* habenda: utì arbitratur *Harvæus* noſter

(*de*

(*de Gener. Animal. exercit.* 52.) duplici præcipuè experimento motus. *Primò* quòd floridæ & rutilanti parti (quam pro ſanguine arterioſo *Galeni* ſectatores temerè accipiunt) tanquam calidior, & ſpiritu plenior, ſupernatet, ſedémque ſupremam in ſolutione ſive partitione ſanguinis obtineat. *Deinde* in venæ ſectione, ſanguis hujuſmodi proſiliens (qui plurimus abundat hominibus calidæ temperaturæ, robuſtis & toroſis) longiori filo, impetúque vehementiore (ceu è Syphone eliſus) exſilit: ideóque is calidior, & magè ſpiritalis debet judicari; quemadmodum & genitura fœcundior, ſpiritibúsque refertior æſtimatur; quæ longè valideque ejicitur. His *tertium* ſubjungere licet; *aquoſam* nempe, ſive ſanioſam ſanguinis partem, igne leviter coctam, in conſimilem gelatinam abire: & vice verſâ, gelatinam ipſam, corruptione recrudeſcentem, reverti in ſaniem. Indicio manifeſto, & gelatinam hanc ſanguinis partem eſſe omnium maximè elaboratam ac ſpirituoſam, velutíque metam quò reliquæ diuturniori coctione perducendæ ſunt: & aquoſam, licet urinæ forſan materiam aliquam, non tamen *urinam ipſam* eſſe, quamvis colore illam & conſiſtentiâ æmuletur. Quippe urina coctione nunquam den-

 ſabi-

tur in iſtiuſmodi mucaginem, ſed potiùs in lixivium tranſibit. Atque hæ quidem integrantes ſanguinis partes ſunt, ex quibus præcipuè compoſitus eſt, & in quas per corruptionem denique diſſolvitur; imò in quas & *viſcerum* etiam, *muſculorúm*que *carnes* ipſæ poſt mortem (ut in iis, qui è patibulo pendent, obſervare eſt) paulatim redeunt; ut ſal in lixivium, unde ortus eſt, reſolvitur.

At *objicies* forſan; *partes iſtas non ineſſe vivo ſanguini, ſed à morte ſolùm corrupto, & jam diſſoluto.* Dico igitur, dari haud pauca indicia, illas ipſas (forſitan & plures) in ſanguinis maſſa dum per venas adhuc & arterias circumfluit, contineri. Medicorum nemini ſanè non innotuit *expanſiva* ſanguinis *ſpirituoſitas*: coercita quidem cùm communi mixtionis vinculo, tum craſſiuſculis, aqueíſque particulis quibus immerſa eſt, tum vaſorum continentium anguſtiis, nè citiùs quàm expedit, avolet; ſed ex reciprocante ſanguinis *æſtu* & *micatione*, quam & primitùs incepit, & perpetim inſtaurat, ſat intelligibilis. Hæc autem potiſſimùm *Sulphureis*, ſummèque *volatilibus* deberi videtur particulis. *Pingue* verò & *oleoſum*, calori fomitem continuò ſufficit. *Salem* ſanguinis vel guſtus ipſe ſubindicat: ex alimentis quidem fixum, at requiſita digeſtione

digeſtione volatilem effectum. Hunc deprehendiſſe videtur Acutiſſimus *Thom. Cornelius*, *Progymnas.* 7. *de vita*; dum tenuiſſimum quendam halitum in ſanguine agnovit; non mente tantùm, ſed ſenſu ipſo. Quippe ex calente adhuc cruore, acri & ſalſa quadam mordacitate exhalans hujuſmodi halitus, palatum ipſius & linguam feriebat. Iſtúmque ſalem ille pro *vitæ Balſamo* accipiendum cenſuit. Et ex *terreſtri* portione ſanguini inſpiſſamentum, ex *aquoſa* fluorem obtingere perſpectum.

Cæterùm huic liti de tantuplici ſanguinis Heterogenietate dudum jam finem impoſuit *Ars Spagyrica*: quæ accuratiſſimam ipſius *Anatomen* deſtillando inſtituit, exitúque felici ſæpiſſimè adminiſtravit. Nam per ignem reſolutus ſanguis, vel ſenſibus ipſis diſtinctim agnoſcenda commonſtravit ea, ex quibus olim conſtitutus fuerat. Exhibuit nimirum 1. *Spiritus*, aquæ ad inſtar vitæ limpidos, ſubtilitate juxta ac volatilitate præſtantes; ſed &, ob ſalem adhærentem, valdè acres, & linguæ naribúſque vim inferentes punctoriam: 2. *Sulphur*, ſub olei nigricantis larva quidem deliteſcens, gravi autem empyreumate dignoſcendum: 3. *Salem* ſummè *Art.* 8.

fugacem, qui unà cum ſpiritibus, urgente intenſiori igne, aſcenderat: 4. *Phlegma*, inſtar lymphæ, ἄχροιον καὶ ἄποιον; quod præcedentia omnia pluſquam dupla quantitate excederet: & 5. *Terreſtres* particulas, in ſpongioſum, levíque digitorum affrictu in pulverem reſolubile *Caput mortuum* coagmentatas: hócque majori quàm inexpertus quis facilè credidiſſet quantitate. Sed quid opus eſt tanto experimentorum pondere, cùm hac luce clariùs apparet, ſanguinem ex *Chylo* confieri, & Chylum ex *eſculentis*; quorum ἄκρητα & ἰσχυρὰ in utroque liquore, quin & in Succo etiam Nutritio manent immutata?

Art. 9. Tantum præliminari verbo de iis, unde ſanguis componitur, perpetuóque reſarcitur, in ſtatu ſuo naturali. Sequitur, ut ab eorundem præcipuis irregulariter ad invicem conſtitutis, & de principatu inter ſe concertantibus, *triplicem* quam diximus *Scorbuti differentiam* deducere adnitamur.

CAP.

Cap. V.

Scorbuti è Sanguinis ranciditate *oriundi hiſtoria.*

SUMMARIUM.

Artic. (1.) *Unde fit, ut ſanguinem nonnunquam inceſſat* Sulphurea *quædam* ranciditas, *in* Scorbutum *tranſitura:* (2.) *quam conati ſunt nonnulli per illius quæ* vinis *Sulphure ſuo diſtemperatis obtingere ſolet*, analogiam *explicare; ſed incertum an ſatis congruenter:* (3.) *quæque diutina &* habitualis *eſſe debet, ut* Scorbuti *parens fiat.*

QUoad *Primam* igitur Scorbuti *ſpeciem*, quam ad *Sulphuris* in ſanguine luxuriantis, & cum *Salis* nonnihil conjuncti dominium, tanquam ad proximum efficiens, retulimus; obſervandum eſt, haud rarò contingere ut ſan- *Art.* 1.

 guinis

guinis maſſa particulis *Sulphureis* ad exceſſum uſque abundantibus, & dominationem in cætera alimenta exercentibus imprægnata; à naturali ſua temperie degeneret, inque liquorem tranſmigret impurum, præfervidum, bilioſum, variiſque tumultibus ac efferveſcentiis obnoxium. Illud ubi contingit, tanta ſævientis in omnia Sulphuris poteſtas eſt, ut ſibi in ſocietatem adſcitis aliquot ex numero *Salinarum* (eis ſcilicet quæ ad ſtatum *fluxilitatis* jam tum propiùs acceſſerint) ſuppreſſiſque ſimul ſpiritibus generoſis; ſanguini univerſo noxiam quandam brevì inducat *ranciditatem.* Qua is inſigniter diſtemperatus, non ſolùm inutilis ad nobiliſſimum illum uſum, cui ex Naturæ inſtituto deſtinabatur, evadit: verùm etiam pleriſque partium, quas circuitione luſtrat, gravis & infeſtus. In has enim recrementa quædã, ſeu coagmentatas ex *Sulphure Saléque* moleculas paſſim diſpergit: quæ illas pro peculiari cujuſque contextura diverſimodè affligant. Quippe in *habitum* corporis extruſæ, *maculis* eum, *exanthematis*, *puſtulis*, *tuberculis*, *exulcerationibus* fœdè deturpant: interaneis verò affixæ, *Cardiogmos* pariunt, *vomitiones*, *diarrhœas*, *dyſenterias*, & ejuſdem commatis alia Symptomata, quæ vulgò ſolent mordenti ventriculum

triculum & inteſtina efferatæ *bilis* acrimoniæ adſcribi; quæque Scorbutum ſæpè & comitantur, & indicant.

Hanc Sanguinis *dyſcraſiam* ſunt quidem qui explicarent per illam quam in *vinis*, poſtquàm aliquandiu efferbuêre, *rancidi-tatem* deprehendimus, odore guſtúque ingratiſſimam. Scilicet ſuppoſitâ vinum inter & ſanguinem *analogiâ* quadam, ſeu affinitate; de hujus intemperiebus ex vitiis illius ſic ratiocinantur. Quemadmodum in *vino*, inquiunt, particulæ *Sulphureæ*, cum *Salinis* conſociatæ, ubi cæteris elementis præpollent, omnem liquorem corrumpunt, ſpiritibúſque generoſis ſub jugum miſſis, odioſa ranciditate inficiunt: ita pariter ſe res habet quoque in *ſanguine*. Et de aliis etiam in ſanguine obſervatis dyſcraſiis, eundem in modum diſſertant, eas cum ſimilibus (ut arbitrantur) alterationibus, quæ vinis obtingere ſolent, per omnia conferendo. Atqui nondum planè conſtitit, talem ullam ſanguini cum vino intercedere ſimilitudinem, ut ſeu rectè ſeu malè habuerint, de utroque paria dicantur. Eſt autem, quòd alterum ſuſpicer ab altero haud paucioribus momentis diſcrepare, quàm animal à planta, aut vinum ipſum à lacte: & ſuſpicionis hujus argumenta *Art.* 2.

aliquot hîc in medium attuliſſem, ſi licuiſſet extra propoſitum divagari. Hiſce tamen Scriptoribus non tam repugnabo, quàm de iis quæ ignoro vel dubito, ſolertiam ipſorum interrogabo.

Art. 3. Interim experientiâ compertum habeo, vix generando iſthanc Scorbuto ſufficere ranciditatem, niſi *diuturna* fuerit, & *habitualis*. Recens enim, nec novo indies ſota pabulo; aut, excretis vigore Naturæ quæ ex Sulphure ac Sale concreverant moleculis, pauculos intra dies extinguitur; aut febrem Synocham accendit, ſanguinem inflammando. Neque minùs certum illud eſt; eidem maximè obnoxios eſſe illos, quibus in deliciis ſunt vina fortiora, aquæ ardentes, caro porcina, piſces Teſtacei, allio aut pipere condita, id genus alia, aſotis in gulæ lenocinium expetita. Ex his enim ſanguini exſurgit uberrimus Sulphuris & Salis rancidiorum proventus: ſicut haud obſcurè colligatur ex eo, quòd pleraque eorum, dum putreſcunt, graviſſimè fœtent.

CAPUT VI.

De Ortu Scorbuti è Sale fixo.

SUMMARIUM.

Artic. (1.) *Derivatur Sanguinis* Μόλυνσις *à* fixo Sale, *ipſi ubertim admixto.* (2.) *Analogica ejuſdem* Cruditatis *explicatio.* (3.) *Scorbutum non ex omni ſanguinis cruditate oriri; aſt unicè ab illa quæ* ſalis prædominio *debetur:* (4.) *quemadmodum oſtendunt* Symptomatum *ei maximè familiarium rationes, &* (5.) remedia *eodem affectis ſummè proficua.* (6.) *Epitome vulgaris doctrinæ de* Fermenti Lienaris *generatione, & uſu primario.* (7.) *Nondum ſatis conſtare, tale quid in Liene unquam repertum fuiſſe.* (8.) *Incertum pariter eſſe, an ulla ſit ſuppoſiti illius Fermenti* neceſſitas. (9.) *Sanguinem qui* Lienem *egreditur, eundem per omnia apparere cum ingreſſuro.* (10.) *Incongruum videri ſuppoſito Fermenti* uſui, *ut non rectà in* venæ Cavæ *truncum, ſed longas per ambages*

in

in Hepar *feratur.* (11.) *Dictorum capita ſub uno aſpectu poſita.* (12.) *Ingenuè profitetur Auctor,* verum *ſe* Lienis uſum *adhuc neſcire:* (13.) *ſuam tamen de ænigmate illo* conjecturam *proponere audet:* (14.) *& falſi Scorbuti originem petit præcipuè à diuturno uſu* alimentorum Sale fixativo abundantium. (15.) *Hâncque ſuam opinionem confirmat* Halophagorum *exemplis.*

Art. 1. QUoad *Secundam* ſpeciem, cui pro cauſa continente dedimus *Tartareas* impuritates, unà cum Chyli tributo in publicum vitæ theſaurum, ſanguinem puta, invectas, ejúſque πνευματώσει repugnantes; non eſt quòd longâ rationum catenâ utamur ad hujus geneſin elucidandam. Nemini enim in eruditis Modernorum Scriptis Pathologicis diligenter verſato novum aut obſcurum eſſe poteſt, plurimùm facere ad Scorbutum ſanguinis μόλυνσιν ſive cruditatem: quæ vix aliunde quàm à *Salino-terreis* cruditatibus ſeu fæculentiis ſanguini copiosè admiſtis oriri videtur. Talium enim de natura eſt, ut cæteras omnes ſanguinis partes figendo detineant in ſtatu cruditatis: unde fit ut univerſa illius maſſa in ſalſum & gari æmulum liquorem brevì degeneret.

Quàm

Quàm ſanguinis eſſentiæ neceſſaria ſit *meteorizatio*, vel exinde liquet; quòd ipſemet modus ſanguificationis aliud nil eſſe videtur, quàm advecti noviter in ſanguinem Chyli à cruditatis ſive fixationis ſtatu ad ſtatum fuſionis ſeu volatilitatis proceſſus; quo ſpiritus ejus, qui antea fixi & depreſſi jacebant, jam exaltantur, & ad ſummum expanſionis gradum promoventur. Interverſo igitur iſthoc proceſſu, neceſſum eſt ut non tam verus ſanguis, quàm liquor quidam impurus, crudúſque & Scorbuticæ indoli proximus fiat. Cruditatem hanc quadantenus exprimunt *Muſtum*, *Cereviſia* novella, *Hydromel*, aliique liquores ex heterogeneis particulis conſtantes. Hi enim, ante debitam ſui fermentationem, nihil ſpirituum elargiuntur: nec ullâ cum ſuis recrementis pugnâ initâ, prorſus inſalubres manent. Haud diſparis immaturitatis ſanguinem in hoc caſu eſſe puto. Non quòd iſtos liquores amuſſidem ſanguinis velim: aſt ſimilitudinem aliquam, & illuſtrandi modum illinc traho. *Art.* 2.

At verò utcunque ſe demum habeat hujuſmodi cruditatis analogia, ad illam quam in dictis liquoribus nondum fermentatione defæcatis *Art.* 3.

defæcatis obſervari diximus; certum interim eſt, Scorbutũ hunc non ex omni ſanguinis cruditate oriri; aſt unicè ab ea, in qua uni *Sali* parere coguntur omnia. Eſt enim alia ſanguini per μόλυνσιν inducta intemperies, unde *cachexia* potiſſimùm *Hydropica* emergit; alia, cui in virginibus ortum debet *Clorôſis*, & *Malacia*; alia ad producendam affectionem *Hypochondriacam* pronior; alia, quam *Leucophlegmatia* ſæpiùs excipit. Sunt forſan & aliæ adhuc, quarum differentiæ nobis nondum ſatis perſpicuæ innotuerunt. *Peculiarem* igitur ſibi in crudo ſanguine diſpoſitionem hic quoque expoſcit *Scorbutus*, ut inde naſcatur: talem nempe (ut nobis videtur) quæ à *copioſi*, & *in fixitatis ſtatu adhuc manentis Salis præpotentia* exſurgit.

Art. 4. Pro *Salis* quaſi deſpotica tyrannide fidem ſuam interponunt ipſa *Symptomata*, quibus hæc Scorbuti ſpecies à reliquis diſtinguitur; quorum præcipua cenſentur univerſi corporis *torpor*, *anguſtia pectoris*, *cordis tremor*, & *viſcerum obſtructiones*. Scilicet, ſanguinem præ ſalis contumacia deficiens πνευμάτωσις, háncque neceſſariò excipiens ſpirituum paucitas, torpida reddit membra: unde *laſſitudo ſpontanea*. In pulmonibus

pulmonibus pariter à Sale incraſſatus ſanguis, ægrè ítque redítque per eorum licèt laxiſſimam ſubſtantiam: hinc *reſpiratio* admodum *difficilis*, & anheloſa. *Cordis* item anxiam *palpitationem* pari jure retuleris ad eundem crudum, ac Sale fixativo copiosè imprægnatum ſanguinem: cujus craſſiores particulæ, ſtyptica infames aſpredine, dum nervoſas ventriculorum cordis fibrillas in tranſitu acriter pungunt; id ad ſe conſueto violentiùs agitandum, undique vibrandum, & quaſi contorquendum, quò ab illa quamprimùm injuria vindicetur, irritant atque exſtimulant: quemadmodum ſternutatio excitari ſolet ab acribus humoribus in anteriores Cerebri membranas delapſis. Et quantum ad *obſtructiones* attinet; nil utique ſolennius eſt, quàm ut craſſus, & lixivium ſalſugine æmulans ſanguis, dum pertranſit viſcerum anguſtias, his nonnihil de tartareis ſuis impuritatibus affixum relinquat.

Porrò hujuſmodi Scorbuto affectis ea duntaxat medicamenta proſunt, quæ *Sale volatili* abundant. Argumento ſanè validiſſimo, eundem non aliunde quàm à *fixo Sale* ortum trahere. Cùm enim omne agens, quatenus in patiens agit, ei contrarium eſt: ſequitur de neceſſitate, Salem *Art.* 5.

volatilem

volatilem, cujus virtute morbus hic expugnatur, in id agere, quod ſub eodem genere proximo eſt ipſi contrarium, *i. e.* in ſalem *fixum*. Conſtat itaque, ab hujuſmodi principio, huic Scorbuto originem adſerere tum quæ ipſum comitari ſolent, tum quæ aperto Marte vincunt.

At unde iſthæc tanta, tamque pernicioſa excepti in ſanguinem Salis fixatio? Equidem de fonte hujus, quàm de Nili fluminis origine haud minùs inter ſe diſſentiunt eruditi: ut dies me deficeret, ſi eorum ſententias diverſas ſingulatim recenſerem. Oblivioni ergo devotis eis, quæ, ex quo Medicinæ cultoribus ſummè propitium illud *Circulationis Harvæanæ* ſydus primùm affulſit, in mera unde conſtabant figmenta ſpontè evanuerunt: unam duntaxat, quæ cæteris omnibus palmam præripuiſſe cenſetur, afferam in medium, juſtisque ponderibus expendam.

Art. 6. *Medicorum*, qui curioſo hoc ſeculo, de *Lienis uſu*, ſeu ex profeſſo, ſeu in tranſitu tantùm in ſcriptis ſuis tractârunt; maxima pars in eo judicio conſentiunt; conditum à Divino rerum univerſitatis Architecto Lienem fuiſſe, ut *invectum in penitiores ſui parenchymatis receſſus ſanguinem*, *in ſummè activi* Fermenti *naturam exaltet*, *&* pro-

& promoveat ; talémque refundat in venas. Ut rem paulò apertiùs declarem ; ſupponunt, ſanguinis per Lienis vaſcula capillaria, & ſpongioſam ſubſtantiam permeantis, portionem quandam fæculentiorem (terreſtri ſcilicet materia, Saléque fixo conſtantem) in ipſius porulis diutulè relictam, illic tanquam nova digeſtione ulteriùs elaborari, & ad æmulam *fermenti* energiam efferri : ut denuò ſanguini per venas refluo admiſta, ei ζύμωσιν inſpiret, qua ejuſdem craſſiores, fixioréſque particulæ ad ſtatum volatilitatis, motúſque expeditiores urgeantur. Addunt deinde ; ſi aliquando contingit, Lienem hoc munere ſuo non rectè defungi : tum deficiente ſanguinem *Fermento Lienari*, ipſum Tartareis ſeu Salino-terreſtribus ſuis particulis gravidum, & ſpirituaſcentiæ inhabilem remanere ; quin & indies invaleſcente in ſpiritum vitalem Sale fixativo, *Miaſma* induere *Scorbuticum.* Atque hæc quidem ſumma eſt doctrinæ illius de fermento Lienis, quæ hodie uſque eò invaluit, ut vix in cenſum redigas omnes in ejus patrocinium propendentes.

Non tamen adeò illuſtris, adeò Areopagitica nobis videtur, ut nemini liceat de certitudine ipſius dubitare. Nam *primò* *Art.* 7.

mò vix conſtat, aliquod *Fermentum*, cujuſcunque demum naturæ illud, & originis ſtatuatur, ullibi in *Liene* reperiri. Qui Lienis & ſubſtantiam, & contenta ſincero guſtu examinârunt, ſe nil quicquam inibi deprehendiſſe fatentur, quod fermenti ſubſalſam acredinem ullatenus ſaperet. Sunt, qui ut ſuæ ſuper hoc zetemate curioſitati feliciùs litarent, vivo animali exemptum Lienem, abluto, ſed non expreſſo priùs ſanguine, revocârunt ad pyrotechnicæ reſolutionis examen. Sed quid factum? Inde deſtillatus liquor aliud nil prorſus ſpirabat, præter *Empyreuma*; quod omnia è carnibus quibuſcunque deſtillando prolecta indiſcriminatim exhibere, percognitum eſt. Idem liquor ſanguini recenter ab animali extracto, & adhuc fluido affuſus; eum quidem, excitatis in ſuperficie bullulis quibuſdam, ad *nigredinem* illicò tendere coegit: at conſimilem nos ſpondemus effectum ex pariter in ſanguinem inſperſis Vitrioli, Salis, Sulphuris ſpiritibus, & id genus aliis Chymicorum deſtillatis. Sunt etiam, qui extractum Liene *Salem* magna lucis expectatione tentârunt; ſed pari cum prioribus ſucceſſu. Quippe Sal iſte naribus empyreumate gravis, linguam primùm obſcura quadam *aciditate* inficiebat, & deinde *amarore*.

Hi

Hi autem decernere non potuerunt, unde aciditas illa quam deprehenderant, provenerit: utrum nempe ab acido quodam Lieni innato; an (quod magis probabile esse Chymici nôrunt) ab igne Salem eliciente. Nodum hunc se putant solvisse, qui defæcatiori palato degustatâ etjam tum spirante Lienis carne (quam Anatomicorum oculatissimus *Malpighius* ferè ex membraneis cellulis voluit, exiguisque glandulis componi) affirmârunt, se manifestum deprehendisse *acorem*; qualis à ventriculis quorundam animalium erumpit: hinc quippe concludunt, *Connaturalem Lieni aciditatem* esse. Nobis autem haud paucos Lienes mox ab exsectione gustu examinantibus, nil tale unquam oblatum: quin & illud pro comperto habemus, Lienis sive recentis, sive exsiccati frustula *lâc* neutiquam cogere, etiamsi totam noctem immaceraveris; haud obscuro indicio, eidem nihil, aut perexiguum aciditatis naturaliter inesse. Cæterùm si inesset; meo quidem judicio, ad sanguinis non tam meteorizationem faceret, quàm ad coagulationem: *Acida* enim sanguini admista, eum in thrombos grumescere compellunt. Exemplo sit oleum *Sulphuris*; quod calenti adhuc, & fluido sanguini inspersum, partes quas immedia-

tè tangit, & quibus innatat, primùm quidem turgeſcere facit in bullulas; ſed mox ſubſidentes, & nigreſcentes, in ſolidam quaſi cruſtam coagmentat. Idémque accidit, infuſo pariter oleo *Vitrioli*; aut *Aluminis* pulvere aſperſo. Cùm itaque neque in crudo, neque etiam in Chymicè diſſoluto Liene ulla hactenus comparuerint ſuppoſiti hujus *Fermenti* veſtigia; equidem ſolitum illud Romano Senatui verbum ſubſcribo; *non liquet.*

Art. 8. *Secundò*, nondum conſtitit ulla Fermenti hujus ad ſanguinem fermentatione ulteriùs perficiendum *neceſſitas*. Carent enim ſine noxa Liene, quibus veſicam natura denegavit; ut *Chamæleon*, *Lacerta*, & alia multa. Carere poſſunt & *animalia perfectiora*, quæ multum ſanguinis elaborant; hócque ſine vel minimo ſanitatis, vel à ſanitate dependentium functionum detrimento. Hujus rei quamplurima habuimus exempla in genere quadrupedum; *caninibus* nimirum, *ſuibus*, *ovibus*; quorum in unaquaque ſpecie aliquot Lienem noſmetipſi, experientiæ causâ, exemimus; incommodi ne minimo quidem cuiquam indè ſupeveniente. Idem quoque (ſaltem in Canibus) fecêre Doctiſſimus noſter *Lowerus*, *Steno*, *Malpighius*, *Kerckringius*, & ex

& ex hodiè florentibus Anatomiæ cultoribus quis non? ut illuſtri huic ſeculo ſe deridendum exponeret, imò & haberetur pro inſano, qui negare auderet. *Homines* quinetiam Liene nunc naturaliter, nunc Chirurgiâ adminiſtrâ deſtituuntur. Memoriæ proditum eſt fide *Clariſſ. Andr. Laurentii* (*Hiſtor. Anatom. corp. human. lib. 6. quæſt.* 25.) diſſectum fuiſſe Lutetiæ cadaver juvenis *benè habiti*, & ſine Liene inventum. Refert item modò memoratus *Kerckringius*, vir de re Anatomica optimè meritus, binos ſe fœtos ſecuiſſe, qui Liene carebant. Sed quid pluribus exemplis opus eſt? Percelebris illa hiſtoria, quam narrat *Fioravantus* de Græca muliere, cui Lienem pendentem uncias duas & triginta exſecuit, & intra viginti quatuor dies perfectè ſanatam reliquit; ſatis liquidò evincere videtur, hoc viſcere carere poſſe hominem, & vitam tamen ſine incommodo tranſigere. At ſi Lien conficiendo dicatus eſſet Fermento, cujus maxima ad diſſolvendas, attenuandas, atque ad dignitatem ſpirituum vitalium promovendas ſanguinis partes Tartareas ſupponitur neceſſitas: certè, eo deficiente, homo neque diù, nec ſine graviſſimis morbis, ex defectu fermentationis in ſanguine oriundis, vivere poſſet.

Art. 9. *Tertiò*, ulteriorem dubitandi anſam nobis ipſe ſuggerit *Sanguis*: qui Lienis confinia *egrediens*, idem per omnia apparet cum *ingreſſuro*. Quippe ſi quis æquus arbiter duas conchas repleverit, alteram ſanguine ſecta *arteria* Splenica effluxo, alteram eo quem apertus effudit ramus *Splenicus venoſus*: profectò nec colore, nec ſapore, nec conſiſtentia, nec pondere minimum diſcriminis reperiet, quo hunc ab illo diſtinguere valeat. Quod fateri videtur ipſemet etiam *Malpighius* (*Exercit. de Structur. Lienis*) his verbis; *Sanguis ab arteria Splenica excretus, non majorem quàm reliquus craſſitiem poſſidet*: quanquam nuper decantatæ illi *Cl. Franc. D'eleboe Sylvii*, de *Fellei* excrementi *nobilitate*, opinioni palam favens; fermentum quoddam novum, & ab illo, de quo nos nunc inquirimus, planè diſtinctum, in Liene præparari conjectat, ad bilioſi humoris in Hepate ſeparandi cùm faciliorem ſecretionem, tum exaltationem haud parum conducibile. Affirmat quidem *Bernhardus Swalve*, elegans Juppiter, & eruditus Scriptor (*lib. de Pancreate pag.* 80.) redeuntem à Liene ſanguinem uſque eò fermentatum eſſe, ut *Sale ad fluorem evecto refertiſſimus appareat in vena Porta*: ſed

(quod

(quod in tam docto viro admiror) affirmat tantùm; ad cogendum Lectoris assensum ne uno quidem in medium allato experimento. Idem pari fiducia affirmârunt & alii: ast utinam probassent. Tunc enim finem imposuissent obscurissimæ huic de *Lienis usu* primario quæstioni, quæ ab omni ævo Medicorum ingenia anxiè exercuit, & (ni augurio nostro fallimur) ad seros etiam posteros indecisa descendet. Adeò verum est illud *Plinii senioris* effatum; *ignota nobis sunt, per quæ vivimus.*

Adhæc, à Lienaris Fermenti patronis discere percupio, si illud in Liene confectum alii nulli inservit usui, nisi ut perenniter permeanti sanguini admistum, universam ipsius massam sua vi fermentifica imbuat; cur *ita fermento noviter imprægnatus, rediénsque à Liene sanguis, non immediatè in venam Cavam deducitur, sed per longas venæ Portæ ambages in ipsam Hepatis substantiam?* Certè si fermentum universo sanguini tantum utilitatis esset præstiturum; frustrà per anfractuosos venæ Portæ ac Hepatis labyrinthos, inibíque perturbatam sanguinis consistentiam, quæ Bilis separationem necessariò præcedit, circumduceretur; cùm proximior simul & patentior via occurreret per venæ Ca- *Art.* 10.

væ truncum : in quem recto tranſductu rami Splenici ſanguis exonerari poſſet, ſicque tota ſanguinis maſſa, quin & præcordia citiùs & promptiùs expectato fermento inficerentur. Naturæ mos eſt, ubique τὰ ἥκιστα ποιέειν : & ſemper ab ambagibus abhorrere, ubi quæ inſtituit perficere licet per compendium. Igitur, aut illa hîc à recto tramite deflexiſſe videtur ; aut ſuppoſitum ſanguinis fermentum in Hepar tranſmittitur, eo conſilio, ut in ejus anguſtiis refringatur & debilitetur ; aut idem nullam prorſus, niſi precariam & à Medicorum quorundam ſcriptis emendicatam habet exiſtentiam.

Art. II. Jam verò, ut quæ ſparſim diximus de hac quæſtione, in unum quaſi manipulum contrahamus; cùm Fermentum ſuppoſitum nulla ſatis manifeſta ſui indicia, neque in diſſecto, nec in diſſoluto Liene, hactenus (quod ſciam) exhibuit : cùm ex ipſis etiam hominibus haud pauci Liene deſtituti, non incommodè tamen vixerunt ; cùm Lienem egrediens ſanguis ei, qui ipſum jam ingreſſurus eſt, uſque eò perſimilis apparet, ut perarduum ſit alterum ab altero diſcriminare : & cùm ſuppoſito fermenti iſtius uſui vix conveniat, ut neſcio quo exquiſito artificio in Liene elaboratum

tum, mox obtundatur, & reprimatur in Hepate: his inquam admiſſis, equidem non video quin mihi fas ſit de ejuſdem exiſtentia dubitare, donec immeritò dubitâſſe certioribus experimentis conſtiterit. Interim Lieni injuriam facerem, ſi ipſum toties ad Prætorem raperem, quoties hujuſmodi Scorbutus occurrit, quem meliori jure à ſanguinis μόλυνσι, quàm aliunde deducendum puto. Maximè cùm indubitata extiſpicii fide conſtat, quamplurima Scorbuto extinctorum cadavera, cultro Anatomico à morte confeſtim expoſita, Lienem, ut ut graviſſimis antea oneratum criminibus, omni tamen culpa vacuum demonſtrâſſe. Medicorum vulgo quidem nil ſolennius eſt, quàm Lienem contumeliis afficere, quaſi omnium propè malorum eſſet Pancrene: Exta autem à fato conſulentibus rarius nil, quàm vitii quicquam in eo detexiſſe. Hujus rei locupletiſſimus teſtis eſt *Cl. Fr. Sylvius*, *Diſput. Medic.* 5. *theſ.* 7. *In cadaverum humanorum*, inquit, *ex variis morborum generibus defunctorum longè ultra centum à nobis diſſectorum examine atque obſervatione, valdè ſumus mirati nullum viſcus, ſi cor excipias muſculoſum, minus offendi labefactatum ipſo Liene; etiam in affectibus Melancholicis, perperàm Lieni malè habenti vulgò adſcriptis.*

Art. 12. Quid igitur, *inquies*, de tam affabrè compoſito viſcere ſentiendum? Licetnè cum *Eraſiſtrato* fruſtrà conditum exiſtimare? aut non niſi ex eventu neceſſarium ſtatuere, ad mentem *Ariſtotelis*? Imò abſit, procul à cogitationibus noſtris abſit tam impia in divinam conditoris πρόνοιαν ſtupiditas. Scimus,& venerabundi agnoſcimus Naturam optimum eſſe œconomum: ſcimus in ſtructura corporis nihil fortuitum eſſe, nihil quod ſapientiæ ſummæ majeſtatem non referat. Scimus præterea, ejuſdem Naturæ tam abſconditam ſolertiam eſſe in fabricandis Animalium organis, ut nec Anatomicis ipſis quantumcunque diligentibus & oculatis conceſſum videatur, mechanicas, *i. e.* veras eorum rationes ex tenebris, quibus obductæ ſunt, eruere. Veniâ igitur, imò & miſeratione digni ſumus, qui poſt exhauſtum diuturnæ indaginis curſum, quamplureſque diverſorum animalium Lienes anxia diſſectione examinatos, fateri cogimur; ea quidem inveniſſe nos, quibus aliorum dogmata de Lienis uſu expugnare valeamus; nihil autem quo noſtræ ſatisfaciamus curioſitati.

Art. 13. Haud improbabile quidem eſt, ſanguinem dum per diffluxile ac bibulum viſceris hujus

Scripsit Harvæus (lib. de motu sanguinis) chylum cruditorem in Lienem deferri, ut ibidem aliquantulum præparatus, ad hepar exinde transferatur. Nobilis autem Entius, fidissimus ipsius interpres, docuit arterias numerosè ad lienem accedere, ut sanguinis sui curriculo, tenuem chylum, ex minutis interioris lienis membranæ fibrulis quamplurimis in cavitatem ejus depluentem, ad hepar primùm, deinde in venam cavam deducant. Adeoq; lienem parenchymate donatum esse; quia chylosi sanguinis est promptuarium; unde cordi (mediante hepate) subinde nova vectigalia persolvantur. Ideoq; Hippocrates ἦπαρ ἀριστερὸν, hepar sinistrum; & Plato ἦπατος ἐκμαγεῖον sive ἐκμαγεῖον, hepatis culinam, vocarunt. Si enim omne parenchyma absolutæ coctionis munus præ se fert, cur renes eodem donati sunt? An ut sanguinem fabricent? deridiculum. Viæ autem à liene ad hepar, indeq; ad cavam, manifestiores sunt, quàm ut Mercurio indigeant. Creditq; idem Solertiss. Entius, lienis recrementa (si qua sint) cum urina simul expurgari. At per quas vias? Id nobis inquirendum reliquit.

hujus parenchyma trajicitur, attenuari, in rivulos propè innumeros, quin & minutiores moleculas diffringi (aquarum more per manicam *Hippocratis* tranſmiſſarum) adeóque preſervari à coagulatione; cui natura ſua pronus eſt, maximè poſt emenſum tam longum à Corde iter. Hoc enim augurari licet, partim ex immenſa multitudine, miráque implicatione *Fibrarum*, quibus univerſus Splen ſtipatur; partim ex ingenti numero *Arteriolarum*, in quas arteria ſplenica mox ab ingreſſu ſuo diſpergitur, quáſque pariter in minimos hinc inde ramulos ſubdiviſus *Nervus* comitatur: ut utriſque adjunctas, & per totum Lienem diſperſas *Glandulas*, ab accuratiſſimo *Malpighio* luculenter deſcriptas, tacitè prætermittamus. Quippe vix fieri poſſe videtur, ut tot, tantáſque viarum anguſtias ſanguis permeet, quin ſimul in minutiſſimas guttulas comminuatur. Quæ omnes rurſum coeuntes in rami Splenici Venoſi alveum, conceptámque denuò fluxilitatem retinentes, quod itineris reliquum eſt facilius, & citra coagulandi diſcrimen conficiunt. Atqui magis artificioſa Splenis ſtructura eſt, quàm ut huic tantùm uſui ipſum inſervire credamus. Scilicet in eo detecti ſunt *Glandularum*, ſeu potius membranearum veſicularum quaſi racemi

racemi propemodum innumeri; qui uvæ botrum exactiſſima ſimilitudine exprimentes, collocatíque ſeriatim inter arteriarum & nervorum plexus, maximam parenchymatis partem conſtituunt. Detecti pariter ſunt & *Nervuli* multi, à *paris vagi* funiculo, propè *Caſſerii Renes Succenturiatos* contorto, derivati; & (ut incomparabilis ille vir, *Gliſſonius noſter* voluit) fibris reticulare opus in Liene efformantibus arctè adeò copulati, ut his cum illis commercii nonnihil ſuſpicemur intereſſe. De his igitur partibus quid ſentiamus? Sanè neſcio. Nam quantum ad *Glandularum* congeriem attinet; hodiernis Anatomicis notiſſimum eſt, Naturam utplurimùm miniſterio Glandularum uti, quoties in Animalium viſceribus liquorum ſeparationem aliquam molitur: quid autem hîc à ſanguine ſeparandum veniat, obſcuriſſimum. Siquidem ſeparatus à Glandulis Succus (ſi qui ſit) ſejunctim recolligi, & ad ſenſuum examen revocari nequit; vel ipſomet *Malpighio* fatente. Et quoad *Plexum Nervoſum*; utrum hujus officium ſit, Spiritum Animalem à cerebro delatum, in Liene cum affluente per arterias ſanguine commiſcere; quod *Doctiſſ. Franc. Sylvio* placuit: an contrà materiam aliquam à ſanguine Lienem permeante ſeparatam

paratam excipere, & auferre in Glandulas Renales Solertiſſ. *Whartono* dictas; quemadmodum laudatus *Gliſſonius* conjectavit: Nemini hactenus contigit ſcienter determinaſſe; multáque adhuc indagine res indigere videtur. Sagacioribus itaque relicto hujuſmodi Scrutinio, eò inſtituti noſtri, unde inquirendi ardore abrepti ſumus, nunc revertamur.

Detectâ hunc in modum iniquitate eorũ, qui ignorato Lienis munere, ipsũ tamen Scorbuti ex ſanguinis cruditate generandi accusârunt; ſupereſt ut aliam aliquam pro tribunali adducamus cauſam, cui maleficii iſtius culpa cum majori probabilitate impingatur. Talem verò in promptu habemus; nempe *Cacotrophiam.* Exiſtimo enim nihil magìs facere ad ſanguinis μόλυνσιν, quàm diturnũ uſũ ciborũ & potuũ *Sale fixativo* abundantium. Siquidem quale alimentum, talis & Chylus; & qualis Chylus, talis item Sanguis: cujus conſtitutio ſemper mutabilis eſt, pro varia materiæ unde conſtat, & quotidie inſtauratur, conditione. Unde apud omnes *Hippocratis* alumnos in proverbii conſuetudinem venit; τὸ ποικίλον διαίτης, ποικίλα νοσήματα parit. Alimenta quidem in os ingeſta emollit, imbuítque liquor *Salivalis*; *dentes* molitură comminuunt; *Art.* 14.

nuunt; olla *ventriculi* excipit, acido ſuo fermento incidit, calore coquit, & in chylum denique diſſolvit; *inteſtina* prolectant, ſuccutiunt, ulteriùs elaborant, à fæcibus ſecernunt; *venæ lacteæ* elutriant, & in commune receptaculum transferunt; *ductus chyliferi* effundunt in ſanguinem; *Cor* exagitat, calore expandit, motu in orbem impellit; nihilominus nunquam ita de integro immutantur, quin eorum ἄκρατα καὶ ἰσχυρὰ remaneant in ſanguine ſemper *immutata*, quæ ideo Chymicis media vitæ characteres, Gliſſonio autem noſtro Seminales impreſſiones dicuntur.

Art. 15. Hinc perpaucis unquam impunè fuit victûs ratio φαύλη καὶ φλαύρα *Hippocrati* dicta: maximè ubi ſale ac fumo indurata, craſſa, viſcida, terreſtria, nautica, abjectiſſima quævis in cibum & potum diù venerant. Talia enim laudabilis tributi loco illata in ſanguinis ærarium, non ſolùm ſpirituaſcere nequeunt, aut volatilia reddi; verùm etiam in penitiores viſcerum receſſus vi circulationis penetrantia, congeſtis obſtructionibus, ſuam cuivis imprimunt labem: unde cordi, cerebro, reliquis ſumma ſpirituum pauperies, & functionum omnium dejectio ſubnaſcitur. Velut immaturis fructibus acerbitas inhæret, ingratáque auſteritas; per maturationem autem ſpiritus φλογιστὸι innaſcuntur, arte

arte Chymicorum facilè eliciendi: ſic confectus ex *ſalſis* ac *terreſtribus* ſanguis, crudior, fixiórque in univerſo remanet, nec *meteorizationem* quam ad ejus perfectionem exigit *Hippocrates*, admittit. Nil mirum ergò, ſi in *Hollandia*, *Dania*, *Norwegia*, *Suecia*, aliiſque regionibus finitimis adeò frequens hujuſmodi Scorbutus reperiatur; harum ſiquidem incolis, quorum pars magna rem nauticam exercent, & maxima delectatur *Salſamentis*, familiarius nihil eſt, quàm hujuſmodi pravâ victûs ratione aſſiduò uti. Nec magis mirum videri debet, ſi *Noſtratium* quoque haud pauci, Comedones in primis, Ventres, & *Nepotum*, *Apiciorúmque* turba; faſtidienti ab heſterna crapula ſtomacho cupediarum ſalſugine lenocinantes, garíque æmula ciborum condimenta dietim ingerentes, tantoperè conqueruntur de Scorbuti talem ſæpe ingluviem excipientis atrocitate. Nam

——Cùm Salſi vis penetravit
Acris, & in venas diſceſſit diditus ardor;
Conſequitur gravitas membrorum, præpediuntur
Crura vacillanti, &c.

Horum ut præmia ſcias; nocituris illecebris

cebris peccant. Quæ fecêre, patiuntur. Ipſe in tormentum vertitur inſanus ſalſorum appetitus. Sic *Halophagorum* quiſque ſibi tortor datur; ſupplicia, morbi ſunt, & præ cæteris Scorbutus: unde languor ætatem occupat, & ad metam non niſi per acerbos cruciatus itur. Sed vereor ne nimia jam prolixitate uſus ſim, in enarranda Scorbuti hujus *Salini* origine: & monet Laconiſmi ſponſio, progreſſum mihi ad alia maturandum.

CAP.

CAP. VII.

Scorbuti Acidi *genealogia.*

SUMMARIUM.

Artic. (1.) *Sanguini innatum esse Succum quendam* acidum, *cui* suam grumescentiam *debet: quique dulcium ac volatilium consortio coercitus, pacem colit; sed vinculis liberatus, tyrannidem affectat.* (3.) *Quomodo de quieto hospite hostis fit.* (4.) *Tres diversæ Scriptorum* sententiæ, *de ejusdem* exuberantia. (5.) Primæ *sententiæ fundamentum instabile.* (6.) Secundæ *rationes singulatim recensentur, ex* Sylvianorum *dogmate de* Succi Pancreatici *acore.* (7.) *Hujus* materia *è* Nervis *potissimùm deducitur.* (8.) *Eundem in statu naturali non* acidum *esse; sed dulcem, vel saltem insipidum:* (9.) *neque semper acidum reperiri in statu depravato; sed sapore varium:* (10.) *neque etiam huic proprium esse, per putredinem acescere.* (11.) *Dictorum* ἀναλυσις, *& vindicatio à suspicione malignitatis.*

gnitatis. (12.) *Quatenus munere ſuo deficiens* Pancreas, *ad generandum* Scorbutum *conducere videatur.* (13.) Tertiæ *opinionis expoſitio, & prælatio; deductis argumentis à* ratione; (14.) *ab* experientia *eorum, qui nimiùm indulgendo vinis acidis, & auſteris, ſe in hujuſmodi Scorbutum præcipitârunt:* (15.) *& ab eximia præſidiorum* Edulcorantium, & Analepticorum *efficacia in eodem curando.* (16.) *Admittuntur tamen, in partem tragœdiæ etiam aliquot è viſceribus;* Ventriculus *nimirum,* & Glandulæ *quædam.* (17.) *Admittitur item* Sal, *à fixitate ad* fluxilitatis *ſtatum deductus.*

VEnio igitur ad *tertiam* quam ſuprà conſtituere viſum eſt, Scorbuti ſpeciem, ab exſuperante ſanguinis *Acore* breviter deducendam.

Art. 1. Innaſci in ſanguine ὀξὺ, *Acidum* quid; nullus dubito. Illud ipſum & veneranda *Magni Hippocratis Coi* auctoritate jam monſtratum, textu citato; & exinde ſanciri poteſt, quòd ſanorum etiam extravaſatus ſanguis confeſtim *grumeſcit.* Id enim admiſto præſertim *acido* adſcriptum volunt omnes quotquot in ſacris Medicinæ caſtris

caſtris, ſub auſpiciis Philoſophiæ ſanioris, fidiſſimóque experimentorum ductu militârunt. Horúmque in partes equidem eo promptiùs adducor, quòd animo vix concipere poſſim, unde aliàs tam ſubitanea recèns effuſo cruori obveniat grumoſitas: niſi coagulum emergere concedatur ex acido inhoſpitante; nunc à volatilibus ſpiritibus libero, ſuámque protinus energiam exſerente. *Frigori* hunc affectum attribuere, eſt ſanè inſulſiſſimum: quia in aere etiam calidiſſimo ſanguis æquè citò cogitur; imò & intra ſui conceptacula nonnunquam; ut in febre *peſtilentiali*, & *Pſeudopolypo* cordis contigiſſe obſervatum eſt.

Acidus autem hic Succus (*Melancholiæ* nomine Medicorum vulgo inſignitus) quamdiu modum tenet, imperceptibilis manet; & ſub purpureo ſanguinis velamento cuncta corporis innoxiè pervadit; quin & utilis eſt ad conſervandam ſanguinis craſin, ac Sulphurearum ejuſdem particularum fugam aliquantiſper remorandam. Cæterùm dulcioribus quibus implicatus fuerat, diſſipatis; repreſſiſque amarulentis, quibus contemperatus: mox ſævum redit ad ingenium, turgentíque acore moleſtus eſſe incipit; imò interdum *Art.* 2.

eò malignitatis procedit, ut in haud paucis vel è graviſſimorum cenſu affectibus totam tragœdiam impleat. Quod indicare videtur divus *Hippocrates*, ſub finem libri ſui *de veteri Medicina*, diſertiſſimis hiſce verbis; ἆρα ὀξὺς χυμὸς ἀνεπιτήδειος προσφόρων ἐν τῶν λοιπῶν μάλιστα ἔῃ; *ergo acidus humor reliquos præcellens, maximè incommodus fuerit.* Quibus, expoſitionis ergô, & hæc addere licet; ὅταν δ' ἀπικρυφθῇ, *quando ſecretus fuerit.* Ita in ulceribus quibuſdam Cacoetheis, *oſſium corroſionem* parit. Ita in lotio abundans, *Stranguriam* accendit, cum acerbiſſimo inter mingendum ardore: in articulis *Arthritim*; in inteſtinis *tormina*, & *cruentas* nonnunquam *dejectiones*; in pleura *dolores punctorios*; *convulſiones* in nervis, & ſexcenta paris infamiæ mala producit.

Art. 3. At unde tanta támque efferata humorum in *ſtatu præter-naturali* aciditas, niſi remiſſior ea ſupponatur in *naturali* præextitiſſe? quo jure quis contenderit, morbificũ quodvis infundi, nihil autem in corpore præexiſtens, à naturæ ſuæ congruitate in pravã indolem degenerare? Certè omnis acrimonia modum excedens, è remiſſiore excrevit. Hujuſmodi ergo Succus acidus alimentis ineſſe concedendus eſt; nec ſanguini proinde

inde cæteríſque humoribus denegandus: ſed debilis, ſed contemperatus, & a ferociendo coercitus in ſtatu ſanitatis. Idem autem juſta exutus temperie, ſibíque imperium ſuperbè uſurpans in ſocios; de quieto hoſpite hoſtis fit, & tyrannus; omnia bello, tormentis, fame, incendio devaſtaturus. Talis enim Chymicorum Salibus in fluorem adactis feritate quadrat. Talem in *Cancro*, in *Carcinomate*, in *Herpete*, in ulceribus *Sarcophagis* concipere fas eſt. Talis infuiſſe videtur in *urinis* eorum, qui referente *Doringio*, lotii ſui aſpergine corroderent linteamina, non aliter quàm ſi ſpiritus Vitrioli iis inſperſus fuiſſet: itémque illius in ſanguine, qui ſudarium corrupit *hæmorrhagia* pariter corroſiva. Et ne quis *Sudores* exiſtimet ſemper eſſe à conſimili acrimonia immunes; novimus in agro Gloceſtrenſi virum quendam, Equeſtri dignitate ornatum (illum nempe ipſum, cujus admirandum pariter ac miſerrimum ſtatum *Doctiſſimus* noſter *Williſius* graphicè deſcripſit. (*libr. de morb. Convulſ. cap.* 9.) qui prodigioſo quodam Convulſionum genere per longam annorum ſeriem excruciatus, nonnunquam ſudorem profunderet adeò corroſivum, ut inſtar aquæ Chryſulcæ, lintea exederet. Equidem dies me deficeret, ſi Succi hujus

ad ſummum acoris gradum provecti crimina ſingulatim aggrederer enumerare. Satis itaque eſto, ipſum ſanguinis indigenam eſſe; placidum quidem, mitémque, & quadantenus proficuum, dum non ſui juris eſt: aſt irrequietum, ac factioſum, ubi à benigniorum humorum regimine emancipatus, excuſſo miſtionis jugo, in ultimos impetus exardet. Et ne huic ſingularem adſcribas κακοπραγίαν; aliorum factioſis tumultibus ſe adjungens, in hominis exitium multimodis conſpirat. Quod & cæteris commune vitium eſt. Eadem quippe ſalſorum, eadem amarorum, omnium quotquot ad *Hippocratis* δυνάμεις καὶ ἀκρότητας ſpectent, natura. Dum contrariis temperantur, ac demulcentur; tranquillè agunt: ſecreta autem, ſuóque genio reddita, noxias vires produnt, ſocióſque paulatim trahunt in rebellionem. At ſi ſævitiam præ cæteris horum vitiis ſpectes; primatum ſibi & jure, & *Hippocratis* ſuffragio, *Succus acidus* vendicat; ut qui in vulgò adſcriptis *Melancholiæ* affectibus, omnium facilè choream ducat.

Art. 4. Cæterùm *quonam* è *fonte* poſſit Succi hujus tam infauſta ſanguini, ac univerſo deinde corpori exuberantia ſcaturire? Unde tantas ſibi vires, quæ tyrannidi ſufficiant

ant in omnia exercendæ, acquirat? Hîc profectò in ancipitem, nihílque tandem fortaſſis profuturam cogitandi curam incidimus: & nobis incertæ magna eſt diſcordia mentis. Res utique ſua ex natura intellectu perdifficilis eſt: eámque multùm inter ſe diſcrepantes Auctorum ſententiæ magìs adhuc adumbrârunt. Nodo nempe huic ſolvendo, *aliis* viſum eſt in ſcenam adducere *Lienem*; exceptas à ſanguine fæculentias atrabilarias convertentem in activum nimis, & incongruum, ſanguiníſque tandem corruptivum Fermentum. *Alii*, vindicatâ Lienis innocentiâ, crimen in *obſtructum Pancreas* ſumma cum fiducia transferunt. Nemini autem (quod ſciam) ſua adeò ex voto ſucceſſit induſtria, ut dum rem hîc in quæſtione poſitam determinare laboraret, nullum nobis dubitandi locum reliquerit. Nam

Ad *primam* ſententiam quod ſpectat; cuique obvium eſt, hanc alio nullo niti fundamento, præter *Fermenti Lienaris Hypotheſin*: quæ quàm incertæ fidei ſit, quantíſque difficultatibus implicata, ex iis quæ jam à nobis circa Lienis uſum πανσοφικῶς dicta ſunt, luculenter conſtet. Et petere exorbitantis in ſanguine acoris ſcaturiginem, à nondum ſatis intellecto Lienis ma- *Art.* 5.

lè conſtituti fermento ſupra modum exaltato; quid aliud eſt, quàm ignotum magis ignoto ſuffulcire, aut dubia multiplicare?

Art. 6. Quod ad *Secundam* attinet; quanquam apud nonnullos, hóſque ſcriptorum ſuorum gloriâ celeberrimos *Mediços* hodiéque florentes ſummis laudibus prædicatur; nec rationis patrocinio videtur prorſum deſtitui: eam tamen ſi, abjecto auctoritatis præjudicio, ad ſtateram exegeris; tali fundamento ſuperſtructam eſſe invenies, de quo nihil certi, nihil definiti hactenus à ſagacioribus ſtatui potuit. Quod ne gratìs videamur dixiſſe; æquum eſt, in medium priùs allatâ paſſim jam decantati dogmatis hujus ſummâ, qualem *Doctiſſ.* illi viri, *Franc. Sylvius*, & *Bernhard. Swalve* (ut cæteros ejuſdem patronos ſileamus) ſcriptis ſuis eruditis tradidêre: eas deinde quibus præcipuè idem innititur rationes, ſingulatim quidem, ſed ſtrictim examinemus; quò tandem *tibi* (*Lector cordate*) ſecuriùs liceat, de tota cauſa, tanquam de Problemate utrinque diſputato, dijudicare.

Primò itaque ſupponunt *dicti Autores*, primariũ *Pancreatis* uſum in eo conſiſtere, ut

ut exceptum ab arteriis ſanguinem, ſpiritúſque animales per nervos à cerebro ſimul immiſſos in penitiores Glandularum ſuarum receſſus (ex his enim maximam partem coagmentatur) ita commiſceat, digerat, exaltet; ut inde ſuccus quidam emergat nobiliſſimus, ſui generis, ac *Pancreaticus* proinde dictus: venis interim per ramos ſplenicos reliquum ſanguinis revehentibus.

Secundò ſupponunt *Succum hunc* (in quo *Acidus* Spiritus, ſpiritu *volatili* præſertim temperatus, ut arbitrantur, primatum obtinet) *Chyli* & ab alvinis fæcibus *ſecretioni*, & per Lacteas *vectioni* plurimum inſervire; quin & *Pituitæ* multæ in tenuibus inteſtinis reſtibili materiam ſuppeditare.

Ad hæc ſuſpicantur eundem ſuccum, ex diutina in *Glandulis Pancreaticis*, harúmque *Ductu Excretorio* ſtagnatione (quod ſemper fit per Emphraxin) ſenſim magis aceſcere, ac acriorem reddi; ita ut factâ per turgeſcentiam ſpontaneam eruptione, inque delapſum è ventriculo Chylum, & deinceps in ſanguinis confluvium ſeſe inſinuans; acorem ſuum tum ſanguini, tum Succo Nervoſo communicet, in utriuſque corruptelam, & temporis progreſſu, in Scorbutici etiam Miaſmatis apparatum.

Quid eſt cauſæ cur ita aceſcere cenſeant? Quoniam, *inquiunt*, ab ipſo inter ſtagnandum ſenſim ſecedit ſpiritus volatilis, ei ſecundum naturæ inſtitutum conjunctus, ipſúmque blandè contemperans. Teſtatur enim experientia quotidiana, Acida quævis ſuapte ſponte indies reddi acidiora: utì obſervare eſt in Aceto; quod quo ſervatur diutius, eo magìs aceſcit: idque proculdubio quia indies magìs magíſque evaneſcunt ſpiritus volatiles, aciditatem illam attemperantes. Atque hæc quidem Epitome eſt eorum, quæ *Sylvius*, ejúſque *Sectatores* de origine, materia, confectione, uſibus, depravatione Succi Pancreatici conjectârunt.

Art. 7. Verùm enim verò, utcunque ingenioſa, & pluſquam *Chryſippeis* ſubtilitatibus exſtructa eſſe hæc *Hypotheſis* videatur; reſtant haud pauca tamen, quæ ipſam manifeſtæ incertitudinis arguant. Nam ſi ad *primariam* Succi Pancreatici *materiam*, quam ſanguine ſtatuit exhauriri, reſpiciamus: eam forſan potius à nervis comperiemus, quàm ab arteriis deducendam. Id quod ſolertiſſimè olim advertit Candidiſſimus noſter Collega, *D. D. Whartonus* (vir ſanè, cujus famam virtus, & litteræ facient immortalem) *Adenographiæ ſuæ cap.* 13.

cap. 13. ubi ſit diſſerit. Arteriæ *Pancreatis perexiguæ ſunt, & haud multum ſanguinis in ipſum effundunt. Nec credibile eſt, univerſalem ejuſdem depurationem per tam exilia vaſa ſufficienter adminiſtrari poſſe. Nam quanquam ſanguis ille, qui in Pancreata effunditur, ab eodem depurari poſſet: is tamen ſi comparetur cum reliqua ſanguinis maſſa, planè inconſiderabilis ejuſdem portio, & parvi momenti eſt; nempe vix milleſima totius pars.* At, affirmante Cl. *Bernh. Swalve*, quicquid ſanguinis fuerit *ſpiritu acido* incubatum, id totum rectà pergit in Pancreas. Deinde, ipſa Pancreatis *ſubſtantia*, ſi colorem ſpectes, *alba* eſt; ſi ſaporem, *dulcis*: at neque videtur albedo cum *copioſo* ſanguine, nec dulcedo cum *ſubacido* conſiſtere poſſe. Imò *dices* forſan, cum toties à nobis hîc laudato *Bernhardo Swalve*, uſque eò obſcuram, ſpirituúmque volatilium ſocietate in tantum refractam eſſe ſanguinis in Pancreata excepti aciditatem; ut inibi ne minimum quidem ſui indicium ſeu inſpicientibus, ſeu deguſtantibus exhibeat: & non tam in actu, quàm in *proxima* eſſe *potentia* concipi debeat. *Rogo* igitur, unde cuiquam tunc innoteſcere poſſit *Acidus* iſte ſpiritus, quem in Pancreate ſupponunt inhoſpitari? Certè ſcientia non apparentis nulla

nulla eſt. *Porro*, excrementa ſanguinis copioſiora ſint oportet, in ſuo quodque genere; quàm *Succus* hic *Pancreaticus* eſſe reperitur. Si ergo Pancreatis munus ſit, in acidum vergentes ſanguinis particulas in ſe excipere, & deinde ablegare per ſuum vas Excretorium, *Ductum* nempe *Wirſungianum*: indubiè oportet ad multo majorem proventum tales aſſurgant, quàm ille humor quem Pancreas eliminat. Hunc verò *perpaucum* eſſe (comparativè loquor ad cætera ſanguinis excrementa) vel ad ſenſum in diſſectis liquet. Succo enim ſuo repletum quis unquam vidit Pancreatis Ductum? Nunquam vidiſſe fatetur *curioſiſſimus Whartonus*; nec quenquam credit viſurum, etiamſi in viva diſſectione ligamentum ductui, ubi inteſtinũ ingreditur, quantociùs injecerit, ad effuſionem contenti humoris præpediendam. His ergo perpenſis, vix conſentaneum videtur, majorem ac potiorem Succi Pancreatici partem à ſanguine elutriari.

Hujus igitur perennem Succi ſcaturiginem, unde petamus? Certè non è *Lacteis*, quas in ſuam inſertas ſubſtantiam Pancreas prorſus habet nullas. Non è *Lymphæductibus*, qui eidem Pancreati pariter deſunt. Non è *venis*, quia harum in univerſo munus eſt ſanguinem regerere, in orbem denuò

nuò circumferendum. Aſt tantùm a *Nervis*, qui ſoli ſuperſunt ſolvendo huic tributo non impares. Non itaque extiſpicio ſiniſtro divinâſſe videtur *conſultiſſimus Whartonus*, glandulam Pancreatis (quemadmodum & alias omnes) nervis miniſtrare: & cùm ſit *Excretoria*, nonnullas nervorum *Sexti* ſeu (ut hodie ſæpius audit) *vagi* paris, cum ſpinalis medullæ ramulis in majore abdominis *plexu* unitorum ſuperfluitates excipere, & per vas ſuum proprium deponere in inteſtinum. Etenim *plexus* ſuperior Nervorum (qui celeberrimus eſt in toto corpore) Pancreati contiguus eſt, eíque ſurculos frequentes ſufficit; ita ut Nervi in hanc glandulam diſtributi, tum arterias, tum venas omnes ejusdem mole ac numero longè ſuperent. Ac ſi glandulæ hujus ſubſtantiam, temperiem, dulcedinem, lævitatem, albedinem, mollitiem ſpectes; facilè deprehendas, nullatenus eam abhorrere ab excipiendo peculiari quodam dictorum nervorum recremento; quod Succi forma excernit in Duodenum. Poſtulat proinde ratio ut credamus, *Pancreata* ſi non totum, at maximam ſaltem partem ſui vectigalis profuſioni *Nervorum* debere.

Verùm undecunque affluxiſſe reputetur *Art.* 8.

Succus

Succus iſte; certiſſimum tamen eſt, vel ipſius palati teſtimonio, eum in ſtatu ſuo *naturali* non *acrem*, non *ſubacidum* eſſe; ſed dulcem, vel ſaltem inſipidum, lenem, anodynum, feréque per omnia mitiori Pancreatis genio conſimilem. Nec aliam facilè conceperis cauſam, cur ipſum Pancreas tam ſuaviter ſapiat. *Quid ergò eſt cauſæ, cur tam benignus humor tanti acoris invidiâ defametur?* Quoniam, *inquiunt Sylviani*, non ſuſtollendum augurium ab invento per vices Succi ſapore ſubacido depromptum: & quoniam moderata illa, quam eidem ineſſe concipimus, aciditas acumen ſuum ex temperie ſeu mixtione cum aliis amiſit; nec ſe prodere poteſt, niſi poſt diutinam in minoribus glandularum Pancreaticarum ductibus ſtagnationem.

Art. 9. Hæc autem ſolvendo dubio non ſufficient. Nam quod ad *prius* attinet; neutiquam diffitemur quidem, contingere poſſe, ut Succus in Pancreate acidus reperiatur. Nec ignari ſumus, diligentiſſimum illum Anatomes cultorem, *Thom. Kerckringium*, *in Spicileg. Anatomici obſerv.* 65. teſtatum feciſſe, à ſe repertum fuiſſe in diſſecto cadavere pueri biennis Pancreas magnum, & ſcirrhoſum, cum

Theodor.

cum Succo tantopere acido; ut in Duodeno bili admiſtus, tamen etiam tum inſigniter eum ſaporem retineret. At hujuſmodi exempla *perrarò contingentibus* adnumeranda ſunt: nec unquam fortaſſis obſervata, niſi in iis quos febris *Quartana*, vel *Melancholia Hypochondriaca*, aut *Scorbutus* cum inveteratis Pancreatis obſtructionibus conjunctus lenta morte extinxerant; in his verò affectibus vix dubitandum cenſemus, quin non ſolùm Succus Pancreaticus, ſed & univerſa ſanguinis maſſa, & Succus Nervoſus, & liquor quoque Lymphæductuum inſignem ſibi acorem acquirant. Id quod miſello *Kerckringii* puero obtigiſſe haud improbabile eſt. Is enim macie ita confectus erat, ut vix hæreret oſſibus; & profundè exulceratus in jugulo; Lienem præterea habebat grandem, & induratum; ferméque conſumptum Hepar: omnia ſummæ ac ubique ſævientis aciditatis indicia. In benè conſtituto Pancreate, in ſanis violento fato interfectis, quis Anatomicorum tale quid unquam detexit? Se nunquam detexiſſe ingenuè fatetur ipſemet *Sylvius* (qui tamen longè ultra centum cadavera conſecuit) *Diſputat. Medic.* 5. *theſ.* 37. ubi hæc habet: *Pancreaticum Succum*, inquit, *quamvis Salivæ* [in qua ſpiritûs acidi

cidi tantillum ineſſe paulò ante ſuppoſuerat] *proximè accedere ſuſpicemur ; id tamen certò aſſeverare non poſſumus, poſtquam illum naturalem nunquam conſpeximus, multo minus examinare potuimus.* Idem fatentur & alii. Ad hæc non ſemper in ſtatu etiam *præter-naturali* acidum reperitur Pancreatis excrementum ; ſed nunc planè inſipidum, nunc ſalſum, aliquando dulce, aliàs alio ſapore imbutum ; quemadmodum teſtantur modernorum Anatomicorum obſervationes : quaſi id eſſet, cujus ὕδατος λόγος. Adjicias, in pleriſque morbis, maximè in Chronicis, ex humoribus vix unum reperiri à ſua natura aliquo uſque non alienatum : ut inconſultius ſanè nihil ſit, quàm quale quidpiam morienti, immò jam mortuo ineſt animali ; tale in vivo illo fuiſſe æſtimare. Inciſo non omnia æquè inſunt, ac integro corpori : plurima, dum anima ſuo ex domicilio migrat, immutantur.

Art. 10. Quoad *Poſterius* ſimiliter ; ſi *naturaliter* & benè habentis ſucci hujus aciditas tam exigua, ſpirituúmq; volatilium admiſtione adeò ſuppreſſa eſſe ſupponatur, ut ſe nequeat manifeſtare, niſi poſtquam illi per putredinem avolârint : quo jure obſtringimur credere, ipſam non merè *imaginariam*

ginariam esse? Irregularis, incertúsque est à statu degenere ad naturalem argumentandi processus: nec valet ratiocinium à constitutione valetudinaria ad sanam. Posse quidem succum ex diutina stagnatione in ductuum Pancreaticorum angustiis acescere, non inficiamur: at esse eidem proinde connaturalem acorem, non sequitur. Nam & alios corporis nostri humores, ingruente primùm putredine, pariter acescere, notissimum est. Omne putredinis principium monstrare acorem, ipse concedit *Swalvius*: & culinariis etiam experimentis edocti sumus, carnium jusculà, omnésque vegetabilium succos acidum sibi saporem putrescendo acquirere. Estne igitur necessum ut credamus, Succum hunc, quia nonnunquam per putredinem adventitio inficitur acore, idcirco & dum rectè constitutus manet, nativo quodam imprægnatum esse? maximè quum contrarium vel certissimo deguſtandi experimento clarè ostensum. Numquid quod sensu comprehensum est, potest ulla ratione convelli? Certè desipientis arrogantiæ est, conjectandi plausibilitatem sensuum auctoritati anteponere.

Jam verò ut quæ super hoc Theoremate, *Art.* 11.

non

non contradicendi quidem, ſed altiùs inquirendi conſilio diſſeruimus, per ἀναχεφαλαίωσιν repetamus, in *Lectoris* memoriæ ſubſidium; cùm nondum ſatìs liquet, materiam illam unde Succus Pancreaticus conficitur, ab arteriis præſertim exhauriri; cùm idem Succus in ſtatu ſuo naturali nunquam, & non niſi perrarò in degenere, aciditatis particeps repertus fuerit; cúmque acorem aliqualem ex ſui depravatione induere, non Succi hujus proprium, ſed & aliis quoque corporis noſtri humoribus commune vitium ſit: his poſitis, inquam, non eſt quòd ex candidioribus *Sylvianæ* ὑποθέσεως Sectatoribus quis, aut alius quiſpiam nobis ſuccenſeat, ſi de tam mirificæ illius quam Succo Pancreatico affixam volunt, *aciditatis* certitudine pergimus dubitare, donec eam viderimus certioribus quàm quæ hactenus in aciem producta ſunt, argumentis demonſtratam. Res ſanè eſt non exigui momenti; ſed tenebrarum plena, & examinis adeò obſcuri; ut pro certo quid de ea pronunciare ſit periculoſum. Quæ igitur à nobis hîc de dogmate illo *Sylviano* in tranſitu dicta ſunt, non ita accipi velimus, quaſi illud è Medicorum Scholis eliminandum eſſe exiſtimemus; ſed ulteriori Anatomicorum Scrutinio proponimus, ut veritas

tas tandem eluceat. Etenim hærere mihi aquam liberè profiteor: animo infixum ſemper tenens axioma illud à *Palladio* antiquis *Bragmanibus* adſcriptum; Ἴσόν ἐϛι, τὸ ψεύδεσθαι, καὶ τὸ ταχὺ πείθεσθαι; *idem eſt mentiri & citò fidem adhibere.* Mentiens enim, illum cui perſuadet, injuriâ afficit: injuriam etiam facit, qui credidit mentienti, fidem adhibens priuſquam vera edidicerit.

Neque etiam mihi conſilium eſt, *Pancreata* de crimine objecto ita in totum excuſare, ut ipſum etiamſi muneris ſui oblitum, nullatenus tamen ad generandum Scorbutum facere cenſeatur. Abſit à noſtro judicio iſta tam iniqua prævaricatio. Si enim Glandulæ hujus provincia in eo præcipuè conſiſtat, ut peculiare quoddam Nervorum à *plexu* abdominis maximo excurrentium excrementum excipere poſſit, atque per vas ſuum excretorium tranſmittere in Duodenum; quemadmodum ad mentem *Cl. Whartoni noſtri* ſuprà conjectare auſus ſum: quoties Ductûs Excretorii capillaribus obſtructio obvenit, toties neceſſum eſt, ut humor ille, qualiſcunque ſit, qui eliminari debuit, regurgitet in univerſum corpus; eóque pacto cùm ſanguine, tum Succo Nutritio *Art.* 12.

ſenſim inquinatis, Cachexiam pariat, in Scorbutum fortaſſis brevì tranſituram. Ac in omni Pancreatis obſtructione, maximè ſi contumacior, & diuturnior fuerit, obſervare eſt, univerſum corpus ignavia, torpore & ineptitudine ad motum gravari: ut de *Ictero* inde etiam ſæpiùs oriundo in præſentia nihil dicam. At qua ratione iſthæc Scorbuti ſpecies, in cujus indaganda cauſa nunc exercemur, ab obſtructione Pancreatis exoriri poſſit, planè non video: ſiquidem humor Pancreaticus non *acidus*, non *acris* eſt; ſed contrà dulcis, lenis, & ſucco nervoſo, unde elutriari videtur, affinis. Hîc igitur rurſum ἐπίχειν, & judicium ſuſpendere cogor; ne dubia pro certis venditare videar.

Art. 13. Jámque tandem perventum eſt ad TERTIAM ſententiam; quæ ultra diætæ errores in immoderato *Acidorum* uſu commiſſos non inquirens, viſcerúmque nullo in maleficii partem aſcripto, quicquid criminis ſit in generando hujuſmodi Scorbuto, id totum transfert in *Chyli aciditatem*, Sanguini, ſuccóque nervoſo, & Lymphæ communicatam, iíſque conſtanter inhærentem. Et hæc quidem à vero non prorſus aliena videtur.

Primò

Primò enim *Hippocratis* auctoritate ſancitum eſt, ex omnibus alimentorum partibus ἀκρήτους & ἰσχυρούς, quæ inter coquendum à calore noſtro immutari neſciant; nullas eſſe quæ τὸν ὀξὺν χυμὸν ſeu contumaciâ, ſeu pravitate ſuperent. Ubi igitur hujuſmodi eſculenta, quibus τὸ ὀξὺ copiosè ineſt, in uſum quotidianum diù admiſſa ſunt, nec benigniorum aut volatilium imperio correcta; ibi vix fieri poſſe puto, quin Chylus primò, & conſequenter Sanguis, cæteríque ſimul humores concepto illinc acore contaminati, labem ſibi Scorbuticam contrahant.

Deinde vulgari etiam experientia compertum eſt, homines ξυφάγους, & acidis vinis deditos, eſſe *doloribus erráticis, Rheumatiſmo, Arthritidi vagæ Scorbuticæ, Convulſionibus, Spaſmis, Atrophiæ, Ulceribus Telephiis*, & aliis ejuſdem familiæ Symptomatis omnium maximè obnoxios: ídque etiamſi aliàs ἐυσπλαγχνοι, ſeu firmis, benéque conſtitutis viſceribus præditi ſint. Hujus rei luctuoſa nuſquam non occurrunt Exempla; in his præſertim, quibus ſummæ felicitatis loco eſt, voluptuariam *Phageſipoſiorum* vitam tranſigere; languentem ventriculi appetitum muriaticis, *Art.* 14.

& *Oxyporis* condimentis quotidiè ſollicitare; cibiſque affatim ſuperaffundere vina *acida*, & *auſtera.* Cujus ſortis ſunt, in *Germanicis*, vina *Rhenana*, *Neccarinum*, *Baccharacenſe*, *Moſellanum*, *Rhincovicum:* in Gallicis, *Pictonicum*, *Lutetianum*, *Ruellinum*, *Argentolianum*, *Campaniæ* rubellum *Vin d' Hay* dictum, & præ omnibus *Aurelianenſe* (quod quia cerebrum, nervóſque acriter feriat, ideo *Lutetiæ* in Regis Chriſtianiſſimi Oeconomia lege cautum eſt, ne Oeconomus *Aurelianum* vinum Regiæ Majeſtati auſit propinare:) inter Hiſpanica, *Xerenanum*, *à Cazalla*, *è S. Martino: Auſtriaca*, & *Moravica* omnia; de quibus *Crato* (*Conſil.* 153.) obſervatum reliquit, quòd ab ipſorum potu facilè *Paralyſis*, poſt dolores *Colicos*, oriatur; quibus in Scorbuto hoc noſtro nullum Symptoma frequentius eſt.

Hæc verò Vinorum genera nobis heic ex profeſſo memorare placuit, tum quia haud paucis ex Nobilitate noſtra, horúmq; exemplo & aliis eam infra dignitatem conſtitutis nil antiquius eſt, quàm quovis ex iis venas ſuas ſingulis ferè paſtibus diſtendere: tum quòd eadem ſupra alia omnia vix emendabili ſeu aciditate, ſeu auſteritate peccant, rudimenta Scorbuti inferendo;

rendo; præſertim ubi intemperantiùs, & Græco more bibuntur ab his, quos Naturæ viſum eſt calidiori Sanguine, habitúque corporis macilento donare. Quàm malè ſanitati ſuæ conſulunt, qui acidis & auſteris hujuſmodi vinis delectantur, vel ex eo judicare licet; quod *Franc. Citeſius*, vir undiquaque doctus quidem, & gravis, dum in cauſas diri illius morbi epidemii, quem *Colicum dolorem Pictonicum* nominavit, & de quo ſingularem ſcripſit tractatum, ſedulò inquireret; ipſum vix aliunde quàm ab acerbitate vinorum Pictonicorum deduxerit. Ejuſdem tam frequentis in *Moravia* quoque peſtis cauſam eandem agnoſcebat *Crato*, anno 1582. & tot in ea regione colicos & paralyticos non aliam ob cauſam videri exiſtimabat, quàm quòd *Moravica* vina noxia ſunt, & nativum quiddam, quod hunc morbum conciliat, in ſe contineant. Meminit item *Cardanus* (*conſilio pro dolore vago*) cujuſdam colici doloris quadriennis, non ventrem ſolum & pectinem, ſed pectus etiam, dorſum & cervicem, cum palpitatione ingenti, torquentis; cujus originem petit à vini acidi & auſteri potu. Sed Exterorum Exemplis quid opus eſt? Quandoquidem & apud *Noſtrates* pariter videmus ab eiſdem furiis

tot excitari tempeſtates, ut è centum eorum qui vina ſubacida atq; auſtera frequentiùs ingurgitant, vix decem invenias ab *Arthritide vaga Scorbutica* omninò immunes. Nec admiratione digna res eſt. Nam ubi in gulæ terrarum maríſque vaſtatricis gratiam, mille condituras, non ad tollendam, ſed irritandam famem; & varia, non explendæ, ſed excitandæ ſiti, vinorum genera quærimus, ac epulis dies noctéſque ducimus: quid mirum, ſi laudabilis illa Sanguinis ſuccíque Nutritii *eucraſia*, unde ſanitas & vires ſuſtentantur, mutatur in utriuſque *dyſcraſiam?* Hanc verò maximè pariunt alimenta *acria* & *acida*, quæ à calore noſtro vinci nequeunt, ſed tranſeunt in ſeminium hujus Scorbuti.

*Art.*15. Ad hæc, acido hujuſmodi Scorbuto affectis nullum (ſpondemus) ſive præſentius, ſive certius adhibueris *remedium*, quàm lactis, Emulſionum ex Amygdalis dulcibus, Chinæ decocti, juſculorum conſummatorũ, & id genus aliorum *Antacidorum* & *Analepticorum* uſum, ad plures ſeptimanas productum. Argumento tantùm non apodictico, ejuſdem productioni ciborum potuúmq; immoderato acore infamium ingluviem, ſua unicè κακοπεψίᾳ ſufficere poſſe;

poſſe; interim ne uno quidem ex viſceribus de ſuo quid ad infauſtum opus conferente. Horſum peropportunè retuleris quod à ſuprà citato *Citeſio* de Monachis quibuſdam Pictavenſibus, quos crudeliſſima ventris tormina (*Scorbutica* indubiè) diù exercuerant, obſervatum. *Mirandum certè, & miſerandum magis*, inquit, *quod Patribus Fulienſibus, ann.* 1614. *contigit, cùm in Novallium cœnobium coloniam deduxiſſent, intra menſem omnes* (*erant autem tredecim numero*) *queruli, gemebundi, proni in ventrem, eúmque crudeliſſimis doloribus vexatum, ſuas vices dolere, cœlum Pictonicum accuſare: Xenodochium potiùs quàm monaſterium dixiſſes. Nec alia mihi cauſſa ſuccurrebat, quàm quod, præter cœlum*, vino *albo*, *cóque* acerbiſſimo, *aliàs generoſis, ut Toloſanis, &c. aſſueti, pro potu uterentur: quod probavit eventus.* Mutato *enim cœlo, &* potûs *genere, confeſtim priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt.* En hîc ad vivum uſque expreſſam Scorbuti noſtri ex acido oriundi effigiem; licet ſub uſurpata *Colicæ biliosæ* larva, qua optimo viro in Scorbuticorum curatione minùs verſato impoſuerat, depictam. En ejuſdem primordia, præſertim à vino auſtero deducta; inculpatis interea viſceribus. En denique acerbiſſimis ſtipatum

ſymptomatis morbum, cœlo tantùm potúque mutatis, brevì evaneſcentem. Quum itaque & quæ *pariunt* hunc Scorbutum, & quæ eundem certiſſimè *tollunt*, huic quam ultimo loco attulimus, *ſententiæ* tam claris argumentis ſuffragantur: quid ſupereſt, niſi ut nobis in eadem acquieſcere liceat, donec manifeſtè de ipſius falſitate conſtiterit? Nam ut omnia levi credulitate amplectenda non ſunt: ita neque ea protinus repudianda, quæ in rebus obſcuris cùm rationi, tum experientiæ conſentanea videntur; etiamſi ſtatim cornicum oculos non configant. Sub occulta Naturæ & Artis facie quidni conjicere liceat, quod ἀποδειχθῆναι probari nequit? Certè inſulſam *Scepticorum* σοφίαν ſapit, demonſtranda requirere, ubi locantur conjectanea. Noli ergo improbabile mox cenſere, quod vix demonſtrabile. In luce rerum tenui nos Homunculi caligamus; in mediocri cæcutimus; in majore talpæ ſumus; in maxima inſanimus; in omni, quo magìs quærimus, eo magìs dubitamus.

Art. 16. At verò ne quis in ſenſum à mente noſtra alienum quæ hîc diximus iniquè interpretando detorqueat; par eſt ſtrictim admoneamus, eſſe ex *viſceribus* aliquot, quæ

quæ nonnunquam & *ſuas* etiam partes agant in hac ſcena: cùm vel inveteratis obſtructionibus referta, vel debito exuta tenore, aut alio quovis modo in ritè defungendis ſuis muneribus uſque eò impedita fuerint; ut ſuccum alimentis etiam optimis extractum corrumpendo, ei inſignem, & quæ univerſo corpori gravis mox futura ſit, *aciditatem* imprimant. Ita quippe *Ventriculus*, acriori, ac acidiori quàm convenit *fermento* imbutus, quicquid exceperit in totius alimoniam, iſto veluti faſcino confeſtim inficit: quemadmodum farinæ maſſa ſolito acriùs, vel diutiùs fermentata, panem exhibet acidiorem, minúſque ideo laudabilem. Ita pariter & *Glandulæ* tum *Secretrices*, tum *Reductrices*, ubi humores à ſucci Nutritii diſtributione reſtibiles, quibus aliorſum abſegandis inſerviunt, præ meatuum ſuorum obſtructione diutiùs detinuerunt: eos ſenſim aceſcere cogunt, in permagnum œconomiæ Animalis detrimentum. Hujus rei eximium habemus exemplum in *acribus acidiſque Catarrhis*; qui ortum ſuum debent ſeroſis Cerebri & Nervorum recrementis, ultra conſuetum evacuandi tempus, in Glandulis eorum ſecretioni, & exportationi deſtinatis, retentis, & per ſtagnationem ſponte aceſcentibus: quíque

℘. Certum eſt, etiam in ſanis ventriculum liquores acidare, elementum eorum Salinum ad fuſionem perducendo. Hoc enim elementum ſeu principium, dum fixum manet, ſalsedinem ſuam retinet; ſed ſi ad ſtatum fuſionis evectum fuerit paulatim acescit: idque eo ferocius, quo propius ad volatilitatem vi fermentationis provehatur. Hinc quæ diutius in ventriculo geſtantur, vehementem inde acoris gradum acquirunt. Hujus rei exemplum illuſtre occurrit in vitriole. quod, cum à crudum exiſtit, nonnihil exhibet aciditatis; at per retortam pulsum, hoc eſt, ad volatilitatis ἄκρον perductum, immane quantum acorem iſtum ſuum augeat, adeo ut linguam adurat.

à capite decidentes in ventriculum, acore ſuo Chylum, & deinde ſanguinem cum ſucco alibili polluunt.

*Art.*17. Æquum eſt porrò animadvertamus, haud rarò contingere, ut *Salſi* ſeu ad lixivii naturam propiùs accedentes humores (quales pro cauſâ continente *Salſi Scorbuti* ſuprà poſuimus) temporis progreſſu commigrent in *acidos*: ſale illo, qui in iis antea fixus remanſerat, jam tandem ad ſtatum *fluxilitatis* deducto. Illud autem ubi fit (& in omni propemodum inveterato Scorbuto, ab humoribus Tartari æmulis exorto, fieri ſuſpicor) morbi miaſma ad ſummum ſuæ malignitatis gradum videtur adſpirare. Tum enim liquor nervoſus hujuſmodi *Sale Scorbutico* aculeatus, adeò acris, irritativus, imò & corroſivus evadere ſolet; ut vel *aquæ Fortis*, aut *ſtagmatis Vitrioli* vim cauſticam quàm proximè referat: id quod ſuprà memoratis aliquot Scorbuticorum exemplis admiratione digniſſimis commonſtratum. Neque conceptu difficilis res eſt: ſiquidem *Chymicis* nil ſolennius, quàm è ſalibus deſtillatis etiam acidiſſimos, ſumméque corroſivos liquores elicere. Ac ſublimatus in labyrintheo corporis humani alembico *Spiritus Acidus*, ubi omni temperie exutus,

tus, & ad ſummum vigoris ſui faſtigium exaltatus, jam ubique ferocit; ſi crudeliſſimos ipſius effectus comparando examines, iſtis Hermeticorum Salibus, ignis vehementiâ in fluorem adactis, quadantenus ſimilis videtur: ut in *Cancro*, in *ulceribus* carnem, & ipſa etiam oſſa *depaſcentibus*, in *ſphaceliſmo* ſubitaneo, & aliis pariter ἀθεεγπεώπτις malis obſervare licet. Deeſt quidem Microcoſmo noſtro *Pyrophylacium*; deeſt Chymicorum *ignis rotæ* dictus; & *reverberium* quoque deeſt; ne quidem tam conſpicua hîc ulla flamma concipi poteſt in Sacrario cordis micare: quoniam tacito omnia fluunt incendio, ſecretóque modo, motúque promoventur ad ἀκμὴν fluxilitatis. Sed *Calor* adeſt perennis, in cordis adyto ſingulis pulſibus denuò accenſus, & cum ſanguine, factâ circuitione, cuncta exagitans. Adeſt item perpetua *Fermentatio*, in *ſanis* quidem placida, & imperceptibilis; efferata autem nonnunquam, & incendio perſimilis, in *Valetudinariis*. Adſunt præterea interdum & liquorum veluti certamine ſingulari congredientium *furiæ hoſtiles*, in univerſi corporis fervorem erumpentes, ac ſulphur expirantes Ætnæum. Hæcque proculdubio, maximè ubi in unum concurrêre, ſalinis particulis in ſanguine, & ſucco nutritio

tritio Scorbuticorum ubique redundantibus exaltandis, atque ad fluoris ſimul ac ferociæ ἀκροτὴν adigendis ſufficient. In hoc caſu ſanè, inter *acidas* & *ſalinas* utriuſque liquoris particulas coeuntes, talem imaginari licet luctam, & ebullitionem; qualem aſpicies, ſi *Nitrum Antimonio fuſo* per granula injeceris, ſensímque detonare ſiveris. Gliſcit utrobique par prælium: neque hîc quàm illic major tumultus. *Saljedinis*, ac *Aciditatis* vires utrinque commiſſæ, ad deſtruendum ſeſe invicem incurrunt: abſolutáque demum pugnâ, pars fortior devictam ſuo imperio adjungit. Sæpiùs autem uſu venit, ut ſalinæ, ceu viribus inferiores, in antagoniſtæ ditionem tranſeuntes, aciditatem quaſi *Calcanthinam* induant: háſque aſcititia illa qualitate deinceps ſpoliare, haud minùs difficile ſit, quàm *acetum* reducere ad *vini* generoſitatem. Unde factum eſſe autumamus, è ſexcentis genito hunc in modum Scorbuto graviter afflictis, vix decem unquam fuiſſe per remedia, licèt aliàs nobiliſſima, ſanitati de integro reſtitutos. Et quia omnium frequentiſſimè occurrit hujuſmodi Scorbutus; inde forſan contigit, ut Medicorum haud pauci in eam devenerint opinionem, omnem Scorbutum à ſale in fluorem adacto indiſcriminatim exoriri: ſed

ſed quanta veriſimilitudine, facilè judicari poteſt partim ex iis quæ jam diximus de *triplici* ejuſdem *differentia*, partim ex his quæ de *propriis* unicuique differentiæ *ſignis*, & characteribus proximè dicenda veniunt.

Convenit autem illud priùs *Lectori* in memoriam revocemus; præter iſtas quarum rationibus ſpeciatim enucleandis hactenus immorati ſumus, dari adhuc & alias, à diverſis morbi quà accidentibus, quà circumſtantiis deſumptas. Scilicet (1) à *modo generationis*, Scorbutus eſt vel *Hæreditarius*, ab infectis parentibus in ſobolem traductus: vel *Adventitius* poſt nativitatem, ſive per contagium ab aliis communicatus fuerit; ſive proprio vitio, praváque victûs ratione acquiſitus. (2) Ab *invaſionis tempore*, vel *recens* eſt, & curatu proinde facilior; vel *inveteratus*, & qui altiùs jam actis radicibus, curationem ægrè ſi unquam admittit. (3) A *ſtatu*, alius in *principio* eſt, in *augmento* alius, tertius jam ad ſummum ſuæ malignitatis *vigorem* provectus. (4) Et ratione *Symptomatum*, hic *paucis*, ille *pluribus*; alius *his*, alius *aliis* comitibus inſignitur. (5) *Subjecti* denique ratione; nunc præ

præ cæteris vitiatur *Sanguis*, nunc *Succus Nutritius*, nonnunquam ex æquo *uterque*. Hæc autem discrimina, eo quòd minùs conducere videantur ad ipsam Scorbuti essentiam per causas proximas dignoscendam, sicco pede pertransivimus.

CAP.

CAP. VIII.

De ſignis Diagnoſticis, *cuique Scorbuti* differentiæ *propriis.*

SUMMARIUM.

ARTIC. (1) *Obſervari in Scorbuto varia ſignorum* Diacriticorum *genera, pro humoris præcipuè peccantis cùm* indole, *tum* labe *diverſa.* (2) *Uſitatiora Scorbuti* Rancidi *indicia.* (3) *Quæ potiſſimùm ſymptomata Scorbutum comitari ſolent, ex* ſale fixo *enatum.* (4) *Quæ item eundem ab* Acido *proveniſſe oſtendunt.* (5) Incerti *tamen judicii omnia; ex non una ratione.* (6) *Error quidam* Pauli Barbette: *ejúſque nervoſa refutatio.* (7) *Variari etiam in unaquaque Scorbuti ſpecie ſymptomata, pro* partium affectarum *varia conſtitutione.* (8) *Plura autem ex facultatum* Animalium *læſione, quàm ex reliquis duabus utcunque perturbatis, emergere; & quibus de cauſis id fiat.* (9) *Semper ineſſe humoribus miaſmate Scorbutico infectis, non-*

nonnihil acrimoniæ, *cerebro nervíſque graviter infeſtæ.* (10) *Eâ plerumque,* & κατ' ἐξοχὴν *vitiari* Succum Alimentarem. (11) Qui ἐν παρόδῳ *vindicatur à calumniis* Deuſingii, &c. (12) *Memorabile* Cl. Loweri *Experimentum Anatomicum, in ſucci nutritii à ſanguine ſeorſim exiſtentis Hypotheſin cornua intentans:* (13) *Multis rationibus eluditur.* (14) *Ejuſdem ſucci hanc eſſe naturam, ut ex* ſalſo, acidóve *ſibi ubertim admiſto, inquinamentum ſanguine aut Lymphâ* & promptiùs concipere *poſſit;* & (15) ægriùs deponere. (16) *Dictorum* limites.

Art. 1. QUot & quæ ſint præcipuæ Scorbuti *ſpecies* ſeu *Differentiæ*, habito ad cauſarum à quibus is immediatè ſolet oriri, indolem variam reſpectu; in præcedentibus dictum eſt. Jámque ex ordine inquirendum ſequitur, quibus *indiciis diacriticis* differentiæ illæ, facto ut artis eſt *ſtochaſmo*, inter ſe diſtinguantur: quò rectiùs denique perveniamus ad palmarium totius *Diatribæ* hujus noſtræ ſcopum; *i. e.* ut pro diverſâ cauſarum Scorbuti continentium ἴσην *Therapeiam* inſtituamus, & ſuis unamquamque remediis ſtrenuè aggrediamur. Morbus quidem ipſe, atque proxima

proxima ejus materia, in intimo corporis receſſu latentes, noſtros plerumque ſenſus effugiunt, nec in conſpectum ſe dant: ex *Symptomatis* tamen, ceu ex ſignis, non-nunquã innoteſcunt. Nam ut *Divinus ſenex* (πιεὶ τεχνῆς) *olim docuit* ὅσα τὴν τῶν ὀμμάτων ὄψιν ἐκπεύγει, ταῦτα τῇ τῆς γνώμης ὄψει κατεφάνται ἃ *quæcunque oculorum conſpectum fugiunt, ea mentis oculis obtinentur & ſuperantur. Varia* autem hujuſmodi ſigna exiſtunt, pro humoris unde profluunt ſpecie diverſa: & ſua cuique cauſæ peculiariter emergunt diſcriminis argumenta; quæ hoc in loco igitur, in ſuam quæque familiam, quatenus ingens eorum multitudo, & abſconditæ combinationes ferant, veniunt redigenda.

Ubi Scorbutus maximè à *rancida* ſeu *Sulphureo-ſalina* ſanguinis, & ſucci quoque nutritii (utrumque enim in hoc caſu, licèt non ex æquo forſan inquinatum eſſe autumo) dyſcraſia dependet: ſymptomata uſitatiora ſunt *Maculæ*, *Exanthemata*, *Tubercula*, *Ulcera*; hæcque ex particularum ſulphuris & ſalis inter ſe concreſcentium moleculis, è ſanguine χὺ μετάστασιν in corporis exteriora effuſis, ibíque manentibus: item *Vomitus*, *Cardialgia*, *Diarrhæa*, ventrémque quaſi lancinantia *tormina*; in- *Art.* 2.

dubiè ex materia morbifica in ventriculum & inteſtina confertim irruente, eáque ad tam efferum hoſtem quantocyùs expellendum irritante. Adjicias & frequentem ſanguinis *effervescentiam*, ſive ζύμωσιν præter-naturalem; ab incongruis & fermenti in morem activis particulis ei pertinaciter inhærentibus, ac inteſtinos tumultus per orgaſmum ſubinde concitantibus. Porrò ſi eadem labes, factâ in *Cerebri* adyta, hincque enatum genus *Nervojum* irruptione, functiones etiam *Animales* perturbaverit (id quod in confirmato plerumque Scorbuto contingit) tum ante omnia ingruere obſervabis *Vertigines*, *Cephalalgiam tenſivam*, *Scotomiam*, *Comа ſomnolentum*, aut *vigilias immoderatas*, *Ephialten*, & nonnunquam *inſaniam*.

Art. 3. In Scorbuto è *ſalis fixi* exſuperantia oriundo, ratione ſanguinis præſertim infecti affligunt, *Dyſpnœa*, *præcordiorum anguſtia*, *pathemata Cardiaca*, *Lipothymiæ*; quæ omnia non aliunde videntur profluere, quàm à ſanguinis fæculentiis crudis, fixis atque ſalinis, nunc ipſum inſigniter incraſſantibus, ut Pulmonum anguſtias liberè permeare nequeat; nunc cor ipſum ſua acredine feriendo, pulsûs rhythmum invertentibus, aut diutulè ſuſpendentibus:

&

& *ſuici Nutritii* pariter corrupti ratione; *torpor*, *laſſitudo ſpontanea*, *motus convulſivi*, *dolores* artuum *erratici*, &c. dictis fæculentiis partes quas in tranſitu alluunt, vel opprimentibus; vel irritantibus. *Adhæc in hujusmodi Scorbuto inveterato tonus & coharentia fibrarum musculorum, præsertim artuum, labefactatur: unde segnities & torpor, imò & a motu aversatio, atq; impotentia eundi subsequuntur.*

In Scorbuto *Acido*, ob ſuccum *Nutritium* acore aculeatum, in primis infeſtant *Nervorum irritationes* ferè continuæ, & ex leviſſimo quoque animi pathemate ingraveſcentes; *Horrores* & *Rigores* frequentes (certiſſimum humoris aciditate peccantis indicium) *frigoris ſenſus* in occipite & ſpina dorſi, nonnunquam quoque per membra diſcurrens; *ſpaſmi flatulenti*, *Convulſiones*, *paſſiones Hyſtericæ* vulgo dictæ; item *alvus* nunc diu *adſtricta*, nunc in *Dyſenteriam* uſque laxata, cui inteſtinorum ἄλγημα ξυνεκὲν *Hippocratis* ſæpe adjungitur; *Melancholia* inſuper cum metu ac deſperatione, *Atrophiæ*, *Exulcerationes*, & quæ agmen claudere ſolet, *Gangræna*. Similiter ob ſanguinem aciditate inquinatum, vexant *Palpitatio* & *Tremores* Cordis, *pulſus* ex improviſo *interceptus*, ſummæ anxietatis comes, & *Lipothymiæ* cum ſudore frigido prodromus. Quid multis? *Acidum* eſt, quod ubivis in hoc morbo primas tenet: ejus

Art. 4.

maleficio ſupera & infera in confuſionem aguntur. Maximè ubi miaſma eò atrocitatis proceſſit, ut ſalibus in fluorem actis & per cuncta diffuſis, *utrumq;* liquorem ex æquo vitiaverit: quemadmodum in annoſo plerumque Scorbuto fieri arbitramur. In hoc enim caſu, *utriúſque* recrementa (quæ non unius indolis ſunt, ſed pro varia ſalium, ad corrodendi malitiam efferatorum combinatione, admodum inter ſe diverſa) variis in partibus coeuntia, mutuóque inter ſe odio ſeu hoſtilitate colluctantia; Symptomata pariunt graviſſima; *Dolores* nempe intollerabiles, noctu potiſſimum & per quietem ſuam exercentes carnificinam, ὀστεοκόπους; *Arthritidem planeticam*, *Rheumatiſmos* univerſim diſperſos, & viperarum more mordentes; *Cancros* item, & *Carcinomata* aſpectu fœdiſſima, quibus ex inopinato ſuccedunt *Sphaceliſmi.*

Art. 5. Atque hic quidem Elenchus eſt præcipuorum ex iis ſymptomatis, quæ non omni pariter Scorbuto communia exiſtunt; ſed alia *huic*, *illi* alia, & alia *tertiæ* ipſius differentiæ magis familiara: quorúmque ex diſcrimine præſens cujuslibet Scorbuto affecti ſtatus quodammodo intelligatur, & quis maximè humor in eo dominetur

dominetur & exſuperet. Hinc autem etiamſi τεκμήριον ποιῆσθαι, & conjectando quadantenus internoſcere liceat: vix licet tamen ἀποδεικτικὸν λόγον afferre, ſeparatim agnoſcendis rebus tanta inter ſe apparentiarum ſimilitudine confuſis. Nam 1. dictis humoribus ſua cuique propria eſt & peculiaris *corrumpendi* ratio: nec eadem Miaſmatis Scorbuti ὕπαξις in omnibus, licèt unam per cauſam à ſtatu naturali alienatis. ὕπαξις. Aliud è *ſanguine* exſurgit inquinamenti genus, à Succo *Nutritio* aliud, & tertium ex *Lympha*: quanquam iſti liquores uno ſimul aut Sulphure, aut Sale, vel acido diſtemperati fuerint omnes. 2. Sunt item ſingulis horum inquinamenti *gradus* quidam, depravatum uniuscujuſque ſtatum pariter variantes: ac eo atrociorem quiſque ſpirat malignitatem, quo ab ſua Eucraſia longiùs receſſit. 3. Ad hæc iidem humores non niſi perrarò *ſeorſim* & καθ' ἕκαστον peccare reperiuntur, reliquis interim prorſus illibatis: ſed omnes de iiſdem ferè vitiis plus minus participare neceſſum eſt. 4. Eſt præterea nonnihil, imò & multum diverſitatis ex ipſorum *Salium*, ſeu fixi ſunt, ſeu in fluorem adacti, varia combinatione emergens: ut perarduum ſit reſcire, utrum hic, an ille, aut tertii generis Sal præ cæteris luxuriat.

Quippe in Scorbuticis, varii ſales inter ſe haud uno modo confæderati, nunc *Gypſum*, nunc *Calcem vivam*, modò *Alumen*, modò *Halinitrum*, aliàs *Vitriolum*, & nonnunquam *Arſenicum* æmulari & ſapere videntur. Horum autem nihil non ad augendam ſymptomatum diverſitatem neceſſariò conducit: proindéque neminem mortalium eſſe arbitror adeò ſagacis judicii, ut quantumcunque accuratè inſtituto ex ſignis ſtochaſmo, certam ſibi, & rationibus in dubium vocari neſciis exſtructam ſcientiam comparare poſſit, de *ſpecie*, *gradu*, *complexione*, *&c.* miaſmatis in hoc vel illo individuo ſubjecto latentis. Nec quemquam pudeat hujus incertitudinis; artis enim Medicæ pars maxima opinabilis eſt, & conjecturalis: nobíſque ſatis eſt, *dominantis humoris ſpeciem* ob oculos propoſuiſſe.

Art.6. Hìc argumenti hujus occaſione, illud me haud levi admiratione percellit, paucos ante annos fuiſſe Virum quendam, cùm eruditione, tum praxi Medica apud *Belgas* inſignem; qui ſeriò crederet, ſcriptíſque doceret, *omnia quotquot ſunt Scorbuti ſymptomata provenire ab unica cauſa*, *Lympha* nimirum vel *Pituita* craſſa *Glandulas Lacteas ita obſtruente*, *ut Chylus non*

non possit nisi serosiore sui parte per eas transire. Hac enim sententia quid unquam audîsti à ratione magis abhorrens? Nam si in omni Scorbuto Glandulæ Mesentericæ quemadmodum ea supponit, obstructæ essent; tum necessariò consequeretur, ut Scorbutici omnes *grandioribus* in Mesenterio *tumoribus*, *fluxúque* alvi *Chylosa*, & *Atrophia* universali afficerentur: laudabiliore Chyli parte sic in primo sui itineris stadio interceptâ, indéque mox regurgitante in intestina. Pari necessitate etiam sequeretur, ut omnes in manifestum *Hydropis* discrimen ex diluvio seroso brevi incurrerent. Atqui longè certiorem *experientiæ* fidem habemus, Scorbuticorum dari quàm plurimos, qui neque de Diarrhæa Chylosa, neque de nutritionis defectu, neque etiam de ullis colluviei serosæ effectibus unquam conquesti sunt. Et *Anatomici* quidam testatum reliquêre, haud paucos se hoc morbo extinctos aperuisse, in quibus Mesenterii Glandulas omni culpa vacuas reperiebant. Obstrui nonnunquam in Scorbuto hasce, ut & alias Glandes, lubenter concedimus quidem: at constanter pernegamus id semper fieri, sicut commenti hujus Autor somniâsse videtur. Qui dum suæ ὑποθέσει ἀρωγὴν obnixè contenderet, specimen levissimæ cre-

dulitatis nobis exhibuit, ſuóque oſtendit exemplo quàm ſit verum illud Moderni cujuſdam effatum: *ubi ſemel occupatum ingenium eſt novis Hypotheſibus, licèt ſolis innitantur conjecturis, in infinitam conceptuum libertatem ſe diffundit; ne diſputare quidem cum rei veritate amplius ſuſtinet. Tam irrequieto et exſultante impetu ſtimulat in ulteriora voluptas glorioſa.* Sed ne latiùs exſpatier, quàm ſententiæ hujus hîc in tranſitu examinatæ levitas patiatur, ad id quod inſtitueram me recipio.

Art.7. Iis igitur quæ de Signorum in Scorbuticis obſervatorum differentiis jam dicta ſunt, *Duo* præcipuè occurrunt adjicienda. *Alterum* eſt, *non eadem ubicunque corporis accidentia ab eodem humore excitari:* ſed alia, aliáque, & interdum inter ſe quaſi toto cœlo differentia; *pro partium à quibus is excipitur, diverſitate.* Inſtantiæ causâ; Humor *Acidus* in nervoſas, ſenſúque cæteris exquiſitiori præditas partes illapſus, has multo crudeliùs excruciat, quàm alias ullas in univerſo corpore reperiendas. Etiam in his obſervare licet haud parum diſcriminis. Idem enim Humor *acidus*, in *Nervis* ipſis *Convulſiones* parit; in *Veſica* urinaria *Stranguriam* cum ſumma lotii acredine; *Dyſenteriam* in *inteſtinis*;

Dolo-

Dolores Pleuritidem ſimulantes, in *Thoracem* ſuccingente membrana; in *Panniculo carnoſo*, & propriis *Muſculorum* involucris, *Horrores*, & *Rigores*, & *Rheumatiſmos*; in *Articulis*, Podagricorum tormina; & ſexcenta alia mala, quæ ſpeciem variare ſolent, pro partium quas malè multant, varia conſtitutione. Et de reliquis ſuccis, *rancido* nempe, & *ſalſo lixiviali* idem prorſus ſentiendum. Hi enim perinde ut alter ab altero differunt ratione diverſæ *magnitudinis*, *figuræ*, *motûs* particularum ex quibus compoſiti ſunt; ita & diverſimodè agunt in partes corporis in quas effunduntur: quinetiam uterque ſuum afficiendi modum variat, pro partis excipientis ἰδιοσυνκρασίᾳ ſeu propria contextura. Ut utrinque ingens diverſitas neceſſariò emergat: quam ad particularia uſque ſi conſectatum irem, & ingenioli mei jam propè retuſi vires multitudine rerum opprimerem, & nimia prolixitate defatigarem Lectores ut ut ſummo candore inſtructos.

Alterum eſt; in tanta Symptomatum varietate, *plura in functionum perturbatione* Animalium *conſiſtere*, *quàm in reliquis duabus*, *vitali nimirum*, *et Naturali* facultatibus *quomodocunque conjectis in ataxiam:* *Art.* 8.

ataxiam: id quod ſupra notatum ad finem capitis ſecundi. Cujus memorabilis *Phænomeni* ratio nobis petenda videtur vel ex *eo*, quòd ipſum Miaſma Scorbuticum Cerebro, generíque Nervoſo, quàm cæteris quibuſcunque univerſi corporis partibus, magìs infeſtum eſt, ac exitiale: vel ex *eo*, quòd Succus Nutritius iſto miaſmate frequentiùs, & altiùs quàm ſanguis vitiari ſolet.

Art.9. Quoad *Prius*; ex præcedente Scorbuti Ætiologia ſatìs (ni fallimur) liquet, materiam ipſius nunquam non *acrimoniæ* cujuſdam magìs minúſve participem eſſe; ratione ſeu ſulphurearum, ſeu ſalinarum, ſeu acidarum particularum quibus copiosè imprægnatur: hínceque inferre licet, eandem ſua natura ſic comparatam, ut Cerebri Nervorúmque & ſubſtantiam delicatiſſimam, tenerrimámque contexturam acredine illa feriendo, lædendo ac irritando, utriſque graviora ſymptomata inferat; quàm reliquis omnibus partibus, quas *ſummo Conditori* viſum eſt cùm duriori ſubſtantia, tum compagine firmiori donare. Quantas dolorum pungentium, vellicantium, erodentium, fixorum, erraticorum tempeſtates; quàm diros ſpaſmorum, convulſionum, contorſionum, rigorum,

gorum, profluviorum, &c. furores, vel pauxillum *acris* cujuſlibet humoris, in nervoſas ac membraneas partes illapſum ciere ſolet; quis neſcit? Et quis *rodere* humor præter *ſulphureum*, *ſalſum*, *lixivialem*, *muriatico-ſalſum*, *acidum*, *acerbum*, *auſterum*, hoc eſt *Scorbuticum*, poteſt? Quis *vellicare?* Quis nunc *æſtum*, nunc ſummi, séque ad præcordia uſque penetrantis *frigoris* ſenſum excitare? Nil mirum igitur, ſi liquores miaſmate Scorbutico efferati, exaſperati, velutíque ſpiculis armati, Cerebrum, ejuſque propagines nervoſas bello internecino proſequuntur: maximè ubi corrodentem veræ *Melancholiæ* feritatem ſibi computreſcendo acquiſiverint. *Acido* enim humore quid acutius? quid magis hoſtile nervis?

Quũ rapidos ſecũ hic traxit in arma furores,
Et Medicas deſpexit opes.

Hic pluſquam Moloſſica immanitate per orgaſmum indutus, & nunc per nervorum funiculos, nunc per declives membranas diſcurrens, ubique ſævit. *Ventriculum* impetens, motu ipſius ac inteſtinorum inverſo, prodigioſam humorum farraginem ſæpiùs eliminat. Nec *Cordi*, nec *Cerebro* parcit. Ab eo rapidum Cordi motum, pulſum

pulſum intermiſſum ſummæ comitem anxietatis ſuboriri: ab eo præcordia conſtringi, comprimi, diſtendi uſque ad Dyſpnæam: ab eo τῷ ἐγκεφάλῳ noxam in tenſione Menyngum, in interceptione aut circumgyratione ſpirituum, in falſarum ſuggeſtione imaginum, in offuſione tenebrarum fieri, conſtare poteſt nulli non Hypochondriacorum ſymptomata obſervanti. Porrò *Halitus* etiam ipſi dictis humoribus exhalantes eâdem de malignitate participant: partéſque quibus ſe inferunt pari cruciatu torquent. Sed vereor ne aut moleſtus ſim Lectori, aut ejus ingenio videar diffidere, ſi de re maximè perſpicua diutiùs diſſeram.

Art. 10. Ad *Poſterius* verò quod attinet; à vero non prorſus alienum eſt, *in Scorbuto plerumque* Succum Alibilem *præ cæteris humoribus, ſanguine nimirum, & liquore Lymphæductuum, vitiari.* Opinio hæc noſtra fortaſſis *nova* videbitur, & *paradoxa*; his præſertim qui veteri illi, hodiéque etiam apud pleroſque obtinenti doctrinæ, de *Materia Nutritionis* in ſanguine contenta, fidem conſecrârunt: ideóque æquum eſt, ad eam ab incredibilitatis ſuſpicione defendendam, paucula hîc rationum momenta proferamus.

Jam

Jam elapſi ſunt tredecim circiter anni, ex quo primùm in lucem emiſi librum quendam de *Univerſa Oeconomia Animali*; in quo cætera inter nonnulla haud parum à vulgo receptis Medicorum placitis diſcrepantia quidem, ſed rationi juxta ac Anatomicorum nuperis inventis (ni egregiè fallor) magìs conſentanea, novas quaſdam propoſitiones (à ſummis illis Naturæ Myſtis, *Entio*, & *Gliſſonio* primitùs excogitatas, ſcriptíſque ſuis immortalibus, de *Sanguinis circuitione Harvæana*, & de *Anatomia Hepatis*, inſertas) ad hiſtoriam *Nutritionis* Animalium decenter explicandam neceſſariò ſpectantes tractavi; atque ſuis quamque rationibus, & experimentis autopticis conatus ſum adſtruere. Harum verò *præcipuas* præſens inquiſitio expoſcit, ſummatim nunc recenſeam. Igitur

In *Exercitationibus* iſtis *Anatomico-phyſicis* luculenter à nobis demonſtratũ 1. non *Sanguinem* reverà, ſed *Succum* quendam multo *benignioris mitioríſque* ingenii, & liquori *genitali* (è quo prima Animalis ſtamina, tanquam ex ſurculo, oriuntnr) perſimilem, eſſe nutrimentum corporis univerſale. 2. Chyli *duplicem Fluxionem* eſſe; *alteram* denuò inſtaurandis partibus per Succum Nutritium, verè ſtrictímque ſic dictum: efficiendis ſpiritibus, ac vitali calori *Art.* II.

calori perpetim refocillando *alteram*, ſub ſpecie ſanguinis. 3. Præparari ex una Chyli parte Succum iſtum *Alimentarem*, in Glandulis *Meſenterii*, in tribus Lumbaribus *Clariſſ. Bartholino* adſcriptis, & (in junioribus præſertim) in *Thymo*. 4. Eundem ex hiſce Glandulis *Cerebro*, & *Medullæ Spinali*, per ſextæ conjugationis, ſeu *paris vagi* nervos, alióſque iis in hoc opere ſubminiſtrantes, placido motu importari: 5. indéque, ceu à principio *Diſpenſationis*, per nervos diſtribui in univerſas corporis partes eodem nutriendas. 6. Item eundem eſſe familiæ à ſanguine planè diverſæ; etiam in iis animalibus, quorum ſanguis primordialem *Colliquamenti*, ex quo materiam & ortum duxit, albedinem ſemper retinet.

Contra hæc vires ſuas haud pauci etiam ex non vulgariter eruditis intenderunt: hi veterum auctoritate, ratiociniis illi, reliqui factis per Anatomen experimentis armati; omnes pro antiquo illo *Ariſtotelis* placito, *Sanguinem eſſe ultimum alimentum*, tanquam pro *Palladio* acerrimè diſceptantes. In his autem neminem temerarius contradicendi ardor in prælium videtur præcipitâſſe, præter *Anton. Deuſingium*; virum literis quidem ornatum, & induſtrium; aſt ingenio valdè importuno, vitilitigationis

vitilitigationis amantiſſimo, totóque ad impetenda aliorum dogmata compoſito: quemadmodum evidenter oſtendunt, ejus quæ extant omnia. Hic enim quà præjudicio exæcatus, quà alienæ laudi invidens; hanc Hypotheſin, de *Succo Nutritio* per nervos & membranas diſtributo, concitato impetu invaſit: in proſpectum vulgi producto *Tractatu* quodam ſingulari, quem partim ex undique collectis, ac malè inter ſe cohærentibus ratiuncularum umbris; partim ex convitiis libero homine indignis raptim conſarcinârat. Sed irato Marte in arenam deſcendebat. Quæ enim in nos tela conjecerat, aut incaſſùm cecidere, aut in ipſius caput retorta ſunt à quibuſdam ex florentiſſimis ævi hujus ingeniis. Et nunc, ut audio, κεῖται Πάτροκλος: quæque ſola potuit, mors ei ſilentium indixit. Neque etiam ulli ex cæteris Succi Nutritii adverſariis ea hucuſque fortuna contigit, ipſum efficacibus, ſibíque fidem exigentibus argumentis evertiſſe. Objecta fuêre quidem multa; nihil autem majoris momenti, quàm Experimentum illud Anatomicum ab *Ornatiſſimo* noſtro *Lowero* (viro ſanè in quo cum eruditione ſolida, cæteræ etiam virtutes, comitas, urbanitas, candor ac modeſtia certant) *in Libri ſui de Corde &c. cap.* 5. allatum.

Quod

Quod quia nonnullis videatur contra nos in hac quæſtione tantis viribus militare, ut nullum effugiendi locum relinquat: ideò & ipſum huc tranſcribere placuit, & quid indè ad convellendam iſtam, in qua nunc per tranſitum verſamur, Hypotheſin genuina inductione inferatur, examinare. Sic verò inſignis iſte Anatomicus.

Art. 12. *Non uno experimento tandem mihi conſtitit, totum Chyli proventum nulla alia via quàm per ductus Chyliferos, in ſanguinem infundi: ſi enim curſus ejus per vaſa thoracica impediatur, animal qualicunq; cibo ſatiatum, intra paucos dies fame interibit; quod in duobus canibus diverſo licèt modo expertus ſum. Alterius enim thorace dextri lateris intra duas coſtas inferiores aperto, digitum immiſi, & ungue velut in ſerram ſecto, commune receptaculum tribus horis à paſtu valde turgidum perfregi, & laceravi; ut Chylo in cavitatem thoracis exitu dato, tranſitus ejus in ductus Chyliferos penitùs interciperetur. Quo facto, & conſuto vulnere, animal hoc cibo quantum capere voluit, poſtea ſatiavi: cum autem intra paucos dies expiraret, & à me ſtatim diſſecaretur; ventriculum atque inteſtina valdè repleta, quin & venas lacteas Chylo plenas inveni; nihil autem ejus in to-*

to

to ductu thoracico apparuit: verùm in eo pectoris latere, in quod cõmune receptaculũ diſruptũ erat, duæ libræ Chyli repertæ ſunt. Vnde certò conſtare arbitror, ob præpeditum Chyli per ductus thoracicos tranſitum animal hoc, ventriculo licèt cibis referto, utcunque fame periiſſe, &c.

Experimentum agnoſco Solertiſſimum, & erectiori *Autoris* ingenio dignum. Verùm neutiquam ex eo conſtare arbitror, aut totum Chyli vectigal impendi in ſanguinem; aut ſola fame canem extinctum fuiſſe. *Art.* 13.

Quoad *Prius* enim; fac certiſſimum eſſe, quicquid Chyli tranſit in ſanguinem, id totum per ductus Chyliferos è communi receptaculo in venas ſubclavias deferri: non ſequitur tamen proinde univerſum Chyli tributum in ſanguinis theſaurum importari. Nam quid obſtat, precor, quin alia aliqua ejuſdem Chyli pars aliorsùm divertatur, antequam commune receptaculum attingat, & in primo ſui itineris ſtadio? è glandulis nempe Meſenterii, aliiſque in vicinia conſtitutis, in nervos à pari vago productos; ut nutriendis partibus inſerviat. Viæ quidem haud obſcuræ ſunt, nec longis ambagibus impeditæ: quemadmodum olim fuſiùs oſtenſum in

Exercitat. noſtra de Succi Nutritii diſtributione per Nervos. Et iſthâc quoque tranſmitti aliquam Chyli portionem debere, neceſſarium vel ex eo videtur; quòd alioquin partes ſpermaticæ alimento ſuo indigerent omnes. Hæ enim tantum abeſt ut ex ſanguine inſtaurentur, ut potiùs ab eo maximè abſumantur: id quod non uno argumento aliàs à nobis probatum, viz. *in Exercitat. de uſu ſanguinis.* Quum igitur & *aliæ* Chylo pateant *viæ*, præter ductus thoracicos; & ejus *neceſſitas alia*, quàm quæ à *Doctiſſ. viro* heic ſtatuitur: equidem non video cur non credam, *alteram* ejuſdem partem in modò memoratos *nervos* tranſire, ut deperdita partium corporis ſpermaticarum ſubſtantia novo indè victu reſarciatur: *alteram* verò in *ſanguinem* indies pariter renovandum profundi.

Quoad *Poſterius* perinde, nihil neceſſitatis apparet, cur cum *Autore* noſtro credam, miſellum iſtum Canem *ſola fame* interfectum fuiſſe. Quidni enim adeò amplum, támque profundum *vulnus*, ex ſe ſatìs eſſet animali pauculos intra dies enecando? Quidni *ſanguis* ipſe, requiſito novi indies Chyli affluxu deſtitutus, eóque nomine à benignitate ſua uſque eò alienatus, ut refocillando calori vitali non ampliùs utilis eſſe potuerit, mortem tam exiguo

guo temporis curriculo inferret; etiamſi interim partes ſolidæ ſuo Chyli dimenſo, per nervos atque membranas allato, non defraudarentur? In diuturna profectò inedia, ubi deficit Chyli vectigal, ſanguinem æſtuare, planéque ſarcophagum evadere & ipſam partium ſubſtantiam liquando depaſci, notiſſimum eſt. At quamdiu vixit canis ab inflicto vulnere? Illud nobis divinandum aliàs accuratiſſimus Scriptor reliquit; numero dierum prorſus indefinito. Adhæc neceſſum erat, ut à tam ingenti Chyli copia in cavitatem thoracis effuſa, cordis & pulmonum motus impenſiùs impediretur: ut ex ejuſdem putredine febris acuta confeſtim accenderetur: útque univerſa naturæ Oeconomia in tantis anguſtiis perverteretur in confuſionem. Sunt itaque, ut vides, præter interceptum Chyli in venas ſubclavias influxum, & aliæ haud minùs probabiles cauſæ, quibus necem Animalis illius pari, ſi non meliori jure adſcribas. Harum quippe vix unam mihi dabis, quæ ſua duntaxat violentia, etiamſi reliquæ interim abſint, non ſufficiat ad perniciem cuivis licèt validiſſimo Animali citò comparandam. Ubi autem omnes (imò & plures forſitan) concurrebant, junctiſque viribus conſpirabant in unius caniculi exi-

tium : utì nil mirum eſt, ipſum fuiſſe ab eis jugulatum ; ita cuivis de præcipua ſic illatæ mortis cauſa inquirenti, tutius eſſe videtur in plurium Syndrome acquieſcere, quàm hanc, vel illam ſingulariter ſumptam totius culpæ invidiâ onerare. Non itaque illud vitio nobis vertendum eſt ; ſi quæ *Doctiſſ. vir* ex hoc ſuo experimento deduxit, ad aſtruendam illam vulgarem ſententiam, de univerſi impendio Chyli in ſanguinem ; indè non adeò genuinè conſequi exiſtimamus, ut pro λόγοις ἀναγκαίοις, ſeu neceſſariò fidem exigentibus argumentis debeant haberi. Horum verò acie ſic retusâ, aliud nihil ſupereſſe videtur, quod nos à ſuſcepto *ſucci Nutritii* patrocinio deterreat : &

Ille velut pelagi rupes immota reſiſtit.

Art. 14. Jam verò ut in arcem cauſæ invadam ; ſuppoſito Nectareum hunc Succum & in ſtatu naturali lenem, dulcémque, & liquori genitali analogum eſſe ; & per nervos circumquaque ſingulis partibus, pro cujuſque indigentia, diſtribui, in earum alimoniam : Veritati ſummè conſentaneum videtur, eundem in Scorbuto altiùs aut ſanguine, aut Lympha inquinari ſolere.

Primò

Primò enim magis vel minùs lædi *nutritionem* in omni Scorbuto, in *ſalſo* præſertim, & *Acido*; neminem reor ambigere. Imò à quibuſdam defæcatioris etiam judicii viris, Scorbutus aliud nil eſſe definitur, quàm univerſi corporis *Cacotrophia* ex Chymo vel *ſalſugine*, vel *aciditate* infecto. Iſta autem nutritio depravata, unde proveniat? Certè non à ſanguine, non à liquore Lymphæductuum; horum quippe neuter alendis partibus comparatus eſt: ſed tantùm ex ſucci nutritii vitio. Hic igitur ubi fuerit aliqua labe, undecunque concepta, uſque eò corruptus, ut planè amiſerit requiſitas bono & laudabili alimento qualitates: neceſſum erit, ut partes omnes ſpermaticæ (& ex his quidem totum ferè corpus exſtructum eſt) non ſolùm genio ſuo defraudatæ ſenſim marceſcant; verùm ingrato etiam, incongruo & irritativo ſucco, tanquam indies augeſcente ſarcina, onerentur. Et ſi labes quam conceperit, hujuſmodi ſit, ut ex acidis, ſalſiſve fæculentiis ſuo modo corruptis dependeat: indè mox emergit Scorbutus, cauſæ ſuæ conformis.

Deinde, *ſucci alimentaris* hæc eſt natura & conditio, ut miaſmate ſemel tactus Scorbutico, ſanguine faciliùs poſſit à ſua benignitate alienari. Eſt enim, dum benè

habet, liquor lenis, mitis, ſubdulcis, omni acrimonia vacuus, & ovi albumini haud abſimilis: ideóque quoties huic quid eximiè ſalſum, aut acidum (horúmque in hoc vel illo utplurimùm Scorbutus fundatur) admiſtum fuerit; facilè in ſuccum degenerabit acrem, noxium, & ſalſugine aut acore fœdum. *Sanguis* autem, quamvis rectè conſtitutus, ſemper tamen particeps eſt haud exiguæ *aſperitatis*. Id quod vel hinc patet, quòd ipſam ſolidarum partium ſubſtantiam perpetuò deprædatur. Hócque non ſolùm ratione caloris vitalis, qui in ipſo ſingulis denuò momentis accenditur atque viget: ſed & ob particularum quas in ſe continet, *aſpredinem*; quâ partes corporis, quas inter circuitionem alluit, quaſi affriando deterit; quemadmodum à nobis olim, in *Exercitat. de ſanguinis uſu* demonſtratum. Huic igitur, quàm Succo Nutritio magis familiare exiſtimem, particulas ſalſas, ſulphureas, acidas ſuo in alveo circumferre. Et quo propiùs quid accedit ad naturam ejus cui admiſtum eſt; eo minorem in illo parit à ſtatu naturali receſſum: & è contrà.

Art. 15. Porrò, idem ſuccus Nutritius ſicut promptiùs ex *Alchali* aut *Acido* inquinamentum concipit; ita forſan & *ab eo difficili-*

ficiliùs vindicatur, quàm ſanguis. Quanquam enim *illi* à variis recrementis repurgando, pleræque Glandularum ſuo quæque modo deſtinatæ ſunt: has tamen arbitramur, quàm ſanguinis Emunctoria, muneri ſuo ſæpiùs deeſſe. Utrùm id contingit, quòd glandularum ductus ac poruli, quos ſuccus nutritius permeare debet, *anguſtiores* ſint, proindéque obſtructioni magìs obnoxii, quàm meatus viſcerum defæcando ſanguini inſervientium. An quoniam inter particulas ex quibus ſucci nutritii fæculentiæ conſtant, ex una parte; & glandularum iſtos porulos, ex altera, major *incongruitas* (reſpectu *figuræ*) eſt, quàm inter particulas recrementa ſanguinis conſtituentes, & cæcos meatus in viſceribus ad ea ſingulatim ſecernenda comparatis. An quia ſuccus nutritius mitiori ac tardiori *motu* per itineris ſui anguſtias, quàm ſanguis per viſcerum meacula ferri ſolet. An denique ex horum omnium (fortean & aliorum, quæ nos adhuc lateant) concurſu. Cuicunque demum cauſæ hanc rem retuleris, illud interim minimè dubitandum videtur; cùm ex variis ſucci Nutritii depravationibus, tum ex Glandularum ipſius quà diſpenſationi, quà depurationi famulantium affectibus diverſis, ingentem morborum ac ſymptoma-

tum vim oriri : quemadmodum cuivis verè aureum illum *Clariſſ. Whartoni* (qui nobis in hac luce præeſt) *Librum de Glandulis*, cum debita animi attentione perlegenti clarè conſtabit. At undenã uſu venire poteſt, *inquies*, ut tot, támque diverſa inter ſe mala ex unico illo fonte ſcaturiant? Equidem ex eo potiſſimùm deducerem, quòd ita dictis Glandulis comparatum eſt, ut ſæpiùs quàm ſanguinis Emunctoria, muneribus ſuis deficere poſſint. Hoc autem conceſſo, nemini mirum debet videri, Succum Nutritium ab ſuis impuritatibus, ſeu ingeneratæ ſint, ſeu alicundè adventitiæ, multo difficiliùs liberari poſſe ac ſolere, quàm ſanguinem à ſuis. Hincque fieri exiſtimo, ut idem ſuccus Nutritius, reliquis humoribus multo pronior ſit, ad Scorbuticum miaſma in ſe concipiendum : útque in eo morbo, tum plura numero, tum atrocitate graviora Symptomata, ex functionum à Cerebro Nervíſq; dependentium ataxia emergere ſoleant; quàm ex qualicunque reliquarum læſione. Quorum utrumque pluribus adhuc rationum momentis aſtruxiſſem, niſi mecum ab initio ſtatuiſſem ſtudere Laconiſmo, ne faſtidio foret ingrata prolixitas.

Art. 16. Cæterùm, ne quis hîc quæ de humorum diſpa-

diſparili aptitudine ad concipiendum miaſma Scorbuticum, dicta ſunt, iniquè interpretando, in eam incidat hæreſin, ut credat; in Scorbuto ſuccum duntaxat nutritium inquinari, reliquis duobus, ſanguine nimirum, & Lymphâ, ſuam interim puritatem conſervantibus illibatam: haud parùm intereſt ſtrictim admoneam, nihil tam abſurdum mihi in mentem unquam veniſſe, meúmque hoc eſſe judicium; contingere nonnunquam (in *falſo* ſcilicet, & in *acido* Scorbuto) ut iſti humores *non perinde*, *non ex æquo* vitiati ſint omnes, ſed *Succus Nutritius* κατ' ἐξοχὴν, ſive præ cæteris. *Primùm* enim omnes ex uno eodémque fonte, Chylo ſcilicet, originaliter dimanant: ideóque ut de iiſdem vitiis ipſi ingeneratis omnes ſimul plùs minùs participent, neceſſarium videtur. *Deinde* non eximi *ſanguinem* à vitiis ſucci nutritii, vel hinc manifeſtum eſt; quòd *iſte* dum per intimos partium quarumcunque receſſus ítque redítque, *illius* reliquias illic manentes undis ſuis abluere, ſecúmque dein circumferre (haud rarò in mox ſecuturam ſui corruptionem) aptus natus eſt. Pari neceſſitate *ſuccum Nervoſum* ſanguis miaſmate Scorbutico tactus viciſſim inficit: quoniam *hic* ad cerebrum in ſuo circuitu delatus, huic materiam unde ſpirituoſus

ille

ille liquor quaſi per ſublimationis modum extrahitur, perpetim ſuppeditat. Unde fit, ut è depauperato velutíque vappeſcente ſanguinis proventu, tenuior juſto, ac effætus liquor extillet in cerebrum; atque inibi è ſalſo acidóve ſanguine, liquor acris proliciatur; in maximum facultatis Animalis detrimentum. Verbo dicam, quacunque dyſcraſia ſanguis ſua bonitate fuerit exutus, eâdem & ſuccum quoque nutritium illicò corrumpi neceſſum eſt; & vice verſâ: ídque tum communis utrique originis reſpectu, tum ratione parilis utrinque per cuncta diffuſionis. Et de *Lympha* denique, idem prorſus ſentiendum; utpote quæ partim ex arteriis, & è nervis partim derivari videtur. Concludo itaque, licèt his quidem omnibus poſſint eadem vitia communia eſſe: in Scorbuto tamen non ſemper omnes parem malignitatem induere; ſed *ſuccum plerumque Nutritium cæteris graviùs peccare.* Quod erat probandum.

Ridebunt, prævideo, hanc conjecturam naſutiores, quibus volupe eſt in aliorum Scriptis acriter exagitandis *Ariſtarchum* agere; quique niſi quod ipſi ſentiunt, nihil rectum putant: ſed forſitan verè ingenioſi de ea meliùs cogitabunt. Ego interim

rim libertatem illam, quam aliis libenter concedo, mihi etiam pari jure vendico: ut quod in re admodum obſcura veriſimile videtur, Emunctiorum examini offerre liceat.

CAP.

CAP. IX.

Signa quædam Prognoſtica, *Medicis in ſe Scorbuticorum curationem ſuſcepturis diligenter obſervanda.*

SUMMARIUM.

ARTIC. (1) πρόγνωσιν *de futuro Scorbuti eventu inſtituturo Medico, quibus è* fontibus *petenda ſint ſigna.* (2) *Quid præſentire liceat, pro varia mali* origine. (3) *Quid ex* Lue venerea *cum eodem complicata.* (4) *Quid item ex nuper* prægreſſis, *nondúmque perfectè curatis* morbis. (5) *Quanto in diſcrimine verſentur, quibus præcipuè infectus fuerit ſuccus* Alimentaris. (6) *Scorbuti, ab* Acido *univerſim ſæviente oriundi, præſagium.* (7) *Quantum oſtentent periculi variæ* Salium *combinationes, ad* ἀκμὴν fluxilitatis & corroſionis *jam provectorum.* (8) *Græviùs* Senes *juvenibus*; (9) Mulieres *viris*; (10) & Moroſi, *Medicorum conſilio alacriter obſequentibus, laborare Scorbuto.* (11) Monitum,

nitum, *ne quis temerè his Prognoſticis confidat.*

QUibus ex indiciis deſumi poſſit judicium, de præſenti Scorbuticorum conſtitutione; jam inquiſivimus: & ſequitur nunc inde *Prognoſtica* hauriamus, quibus etiam prævideatur *futura.* Bono enim, & ſacris *Æſculapii* myſteriis ritè initiato Medico triplicem hanc imprimis provinciam *divinus ſenex* (ὑπομνημῶν. *lib.* I.) demandavit; nempe λέγειν τὰ παρεόντα, γινώσκειν τὰ παρέοντα, προλέγειν τὰ ἐσόμενα.

Signa igitur, undè de Scorbuti hunc vel illum hominem individuum excercentis futuro eventu divinare liceat, multorum utique generum ſunt. Quippe quædam eruuntur ex ipſa morbi *origine*; ab ejus *duratione* aliquot. Alia ex *humoris* maximè inquinati *ſpecie, gradúque miaſmatis* in eo concepti: alia ab *ætate*, *ſexu*, *temperamento*, *moribus* infecti: plura è diverſis *Symptomatis* ipſum obſidentibus. Horum quotquot ſunt præcipua viritim, & ex ordine, ſed paucis exponam. *Art.* 1.

I. Quibus naſcendi ſors contigit adeò infelix, ut *hæreditario* jure in *Scorbutum*, ſibi ab infectis *parentibus relictum* ſucceſſerint: *Art.* 2.

ſerint: his parum vel nihil omnino ſpei affulget, ſe ab ingenerato unquam veneno ſincerè liberatum iri. Nam talium ipſis etiam primordiis infixa miaſmatis ſemina, cum viſceribus unà creſcunt: atque licèt fructus ipſorum, & folia ſubinde peritâ Medicorum manu decerpi poſſint; ſemper tamen altiores agunt radices, repullulántque identidem vel leviſſima quaque de cauſa. Hos miſeros triſtis fortuna tenaciter urget, qui à genitoribus Scorbuto inſanabili fractis vitam, ſimul & contagium ſortiti ſunt.

II. Nec multo mitiùs hiſcum à fato agitur *infantulis*, quorum ſubrumantibus adhuc labellis contagioſum virus, boni lactis loco, ſuæ *nutrices* dicam, an veneficæ inſtillârunt. Ita enim hauſtum in tenellula pupulorum viſcera venenum, mox ſe per omnia diffundit, cum partibus etiam ſolidis quaſi adoleſcit; indè vix ullis Medicinæ præſidiis unquam extirpandum.

III. His proximo loco conſtituti ſunt, quos firmata jam, atque integra ætate corrupit Scorbutus, per *contagium* quomodocunque conceptus. Hauſto enim, tacitéque ſe in penitiora viſcerum penetrante faſcino; confeſtim in ſanguinem, ſuccúmque

que ſimul nutritium, fermenti more, agit; & utrumque de ſtatu naturali uſque eò deturbat; ut exinde naturæ, licet optimis etiam artis auxiliis adjutæ perarduum ſit, ſuæ alterutrum benignitati denuò reſtituere. Maximè ſi ſic infecti, antea aut νύσταλαγχνοι, parúmque firmis viribus fuerint; aut otio, & venere, aliiſque voluptatum illecebris enervati.

IV. In iiſdem fluctibus navigant etiam, quibus *lue* olim *Venerea* implicatis ſuperadditum eſt contagium quoque Scorbuticum. *Hoc* enim ad *illius* malignitatem quamproximè accedere, invicémque excui alterum ab altero; ſuprà *ſub finem cap.* 3. clarè oſtenſum. *Art.* 3.

Naturæq; gemit gemino ſub pondere cymba.

V. Illi pariter magno in diſcrimine verſantur, quos *febre diuturna*, alióve ullo ex graviorum cenſu *morbo* jam propè *exhauſtos*, recénſque convaleſcentiæ initiatos, Scorbutus corripuit. Nam his nec virium ſatìs remanet, quò novi hoſtis inſultum repellant: neq; viſcera gerunt adhuc à noxiis morbi nuperi reliquiis vindicata. *Art.* 4.

VI. Quo *recentior* Scorbutus, eo *curatu facilior:*

facilior: & è contra. Namque in principio, labes nondum eò malignitatis proceſſit, ut aut ſanguini cum ſucco nutritio inſigniter corrumpendo ſufficeret, aut durabilem faceret in ſolidas partes impreſſionem. At ubi jam augeſcente indies pravitate, inveteraſcere incipit; & humores de vitæ ac nutritionis præſidio dejicere ſolet, & ipſis etiam viſceribus imprimere fœda, nec niſi difficillimè delenda ſuæ tyrannidis veſtigia. Undè fit, ut nunc ſingulis annis, nunc ex longiori intervallo, pro victûs ratione, & aliis circumſtantiis, recrudeſcat atque recurrat; modò iiſdem, modò aliis, ſed æquè gravibus accidentibus ſtipatus. Humor enim *Melancholicus*, (primarium Scorbutici miaſmatis ſubjectum) ut non niſi longo tempore coacervatur; ita etiam non niſi longo tempore tollitur. Sua utique natura contumax eſt; & vel generoſiſſimis medicamentis reſiſtit. Ubi verò malum, fixa in cerebro nervíſque ſede, in facultates *Animales* diu ſæviit; vix unquam de integro extirpabitur. Symptomata quidem demulcere licet; inquinamentum penitûs extinguere, non item.

Art. 5. VII. *Graviùs Scorbuto laborant, quibus* Succus Alimentaris *jam inveterato miaſmate*

miaſmate corruptus eſt ; quàm qui ſanguinem *habent ſupra cæteros humores eo* inquinatum. Prognoſtici hujus certitudo non uno pede niti videtur. *Sanguinis* enim hæc eſt natura & prærogativa, ut in ſingulis pænè momentis renovata ſui ipſius & *generatione* , & per incendium *diſperſione* ſeu abſumptione conſiſtat : ut per univerſa corporis perpetuo, eóque rapido ſanè *motu* circumferatur : ut cùm pluribus, tum grandioribus gaudeat Emunctoriis, quorum multiplici artificio vendicat à ſuis quibuſcunque impuritatibus liberari. Horum verò nihil non ad conſervandam ipſius puritatem ſuo modo facere arbitramur. *Succo* autem *Nutritio* paria deſunt privilegia. Is enim & per anguſtiores meatus, & tardiori admodum motu diſtribuitur. Item ejus defæcationi ſi non pauciora, at minora ſaltem, ſed & obſtructioni magìs obnoxia comparata ſunt Emunctoria. Ad hæc (quod maximi in hac quæſtione momenti eſt) ſingulis partibus, pro cujuſq; exigentia, diſpenſatus ; eis per contiguitatem apponitur ; tum per arctiorem coalitum agglutinatur ; & in ipſam denique partium ſubſtantiam aſſimilando tranſformatur. Eſtque proinde neceſſarium, ut idem illas quibus ipſe impræ̃gnatur fæculentias, cujuſcunque demum generis

ſint, partibus ſolidis infixas relinquat: indè forſitan non niſi longo tempore, magnáq; naturæ luctatione exterminandas. His adjicere licet & illud; miaſmati Scorbutico cum ſucco Alimentari tantam intercedere diſcordiam, ut non εὐπροσφυΐα, ſeu pacifico unquam fœdere conſocialia ſint; ſed planè ἀσύμφυΐα, ſibíque mutuo diffidio infeſta: id quod ſuprà ex profeſſo demonſtratum.

Art.6. VIII. Gravior adhuc iis impendet calamitas, qui in Scorbutum delapſi ſunt, ex *Acido* in ſanguinem pariter & ſuccum Nutritium graſſante oriundum. Quippe ubi in utrumque Cacotrophia tantoperè invaluit, ut ambo in liquores acidos, auſteros, Calcanthinos degeneraverint: fruſtra expectaveris, alterutrum ſuo unquam genio reſtitutum iri; niſi in hominibus benè viſceratis, integrarum adhuc virium, & Medicorum conſilio obſequentibus; perque generoſiſſima & naturæ & artis præſidia, diù continuata. Nam ita imperio acidi ſubjectos humores in locum undè dejecti ſunt, reſtituere; haud minùs difficile eſt; quàm vino in acetum degeneranti priſtinam gratiam reddere.

Art.7. IX. Omnium autem graviſſimè periclitan-

clitantur, quibus Scorbuto langueſcentibus inveterato, humores ex *ſalium* in ſummum *fluxilitatis* & *acrimoniæ* faſtigium jam evectorum *combinatione* adeò efferi evaſerunt, & corroſivi; ut partes etiam ſolidas erodendo, æmulari videantur vim *Cauſticorum.* His enim ab hoc ſtatu nullus datur regreſſus: ſed conturbata, ruinoſa, conclamata tum fermè omnia; remediorum verò, & virium cum partibus atrophia colliquatis refectionis, nihil. Namque in hujuſmodi Scorbuticorũ propè jam exhauſtis corporibus, tam variæ, támque perplexæ ſunt ſalium efferatorum Syzygiæ & conſpirationes; ut perarduum ſit, eas diſtinctim internoſcere; ac per appropriata cuique ſingulari antidota diſſolvere, tantùm non impoſſibile. In hoc autem caſu, circumſpecti Medici eſt, præſagire quidem pericula; ſed interim non omittere quæ ars & humanitas requirit. *Satius quippe eſt, anceps remedium experiri, quàm nullum: & dubia ſpes certa deſperatione potior.*

X. Ex Scorbuto, *adhuc florente juventa fervidis, non idem ac ævo cedentibus inſtat periculum. His* enim & virium minus eſt, & plus excrementorum ab infidis concoctionibus reſtibilium: utrumque proculdubiò *Art.* 8.

ex ſanguine caloris atque ſpirituum vitalium (qui ſoli medentur morbis) indigo, velutique in vappam ſpontè langueſcente.

Art.9. XI. *Mulieres* item viris periculoſiùs laborant: quia & calore ac viribus plerunque inferiores ſunt, & proniores in ſanguinis corruptionem, ex importuna menſium ſuppreſſione. Adjicias & πολυφαγίαν, cum vita otio utplurimùm, & deliciis tranſacta.

Art.10. XII. At eadem *utrique* ſexui mala impendent, ubi Scorbuto jam altiùs infixo affecti, non ſalutari Medicorum conſilio ducuntur, ſed in perverſa abducuntur enormi ſuarum cupiditatum inſtinctu. Hîc enim, ſi uſquam morborum, exactiſſimâ ratione in rerum uſu non-naturaliũ obſervandâ opus eſt; opus eſt & medicamentis eximiis, multis, appropriatis, ſubinde pro re nata variandis: ut tanti hoſtis vires, ex omni victûs errore ſuccreſcentes, undique, & ſæpiùs iteratis quaſi certaminibus impugnentur. Malè igitur ſaluti ſuæ conſulunt, qui hoc morbo conflictati, genióque ſuo ſive per contumaciam, ſeu ex petulanti libidinis œſtro nimiùm indulgentes; vivere ex Medicinæ præſcriptis faſtidio habent.

bent. His equidem ſeriò inculcandum eſt illud *Hippocratis* axioma ; ἡ τέχνη διὰ τειῶν· τὸ νόσημα, ὁ νοσέων, ᾧ ὁ ἰητρὸς, &c. *Ars ex tribus conſtat ; morbo, ægroto, & Medico artis miniſtro. Ægrotum cum Medico adverſari morbo oportet.* (ἐπιδη-μιῶν, *Lib.* I.) τὰ δέοντα ποιέειν, non minus ægroti officium quàm Medici eſt. Ab *hoc* requiritur, quod facto opus eſt, ex medendi ſcientia conſulere : ab *illo*, alacriter exequi quod conſultum eſt, præſcriptíſque morigerum ſe præbere. Qui aliter fecerit, debitis perverſitati ſuæ pœnis reliquendus ; tanquam divino *artis Hippocraticæ* auxilio indignus.

Præter hactenus explicata morbi hujus oſtenta, reſtant & alia ; quæ ex *variis Symptomatum aſpectibus* deſumpta, Scorbuticorum fata majori adhuc certitudine præmonſtrent. Ne quam autem confuſionis obſcuritatem pariat longior, ac malè diſtincta rerum productio ; iſta expedit in illum locum conjicere, ubi de Symptomatum præcipuis & per cauſas ſuas enucleandis, & per appropriata cuique remedia curandis agere mecum conſtitui.

Interim de utriuſque loci Prognoſti- *Art.* 11.

cis, illud in genere notatu dignum eſt; *iis non temerè, non ſine ſumma circumſpectione credendum*: ne per incertam, nec reſpondentem eventui prædictionem, aut Ægroti requiſitis, & etiam tum fortè profuturis remediorum ſuppetiis relinquantur deſtituti; aut qui judicio erraverit Medicus, cùm ſibi, tum Arti (quam ſummi Numinis indulgentiâ ſingulari Hominibus conceſſam, ab omni ævo principes viri crediderunt) fallaciæ infamiam imprudenter conciliet. In hoc enim morbo, ſi in alio ullo, ut cauſæ, ita & Accidentium quoque præſignificationes admodum obſcuræ ſunt, & ancipitis fidei: obſervatúmque eſt, nonnullos etiam ex deploratis, præter & ſuam, & Medicorum expectationem, è faucibus fati emerſiſſe. Præterea, convenit ægros ſecuros agere; ut corpore tantùm, non etiam animo laborent: & ſi qua ipſorum animos exaſperatura ſint; optimum eſt, ea dum ægrotant, ipſorum notitiæ ſubtrahere. Cæterùm ubi Scorbutico vel ſita in Abdomine viſcera duris, inque ſcirrhum vergentibus tumoribus obſeſſa ſunt; vel exulcerati pulmones: ibi ſpes abiit omnis; nec Medico ſerò nimis in conſilium advocato aliud quid agendum ſupereſt, niſi at mitigatâ

tigatâ symptomatum atrocitate, conclamato εὐθανασίαν conciliare pro virili annitatur. Quæ supra hominem (inquit Medicorum Princeps Romanorum, *Corn. Celsus*) Deo committe; & consule non minùs tuæ famæ, quàm ægrorum saluti.

εὐθανασίαν.

CAP. X.

Scorbuti θεραπεία, in genere inſtituta.

SUMMARIUM.

ARTIC. (1) *Poſitum eſſe palmarium diſſertationis hujus ſcopum in methodica Scorbuti* Curatione. (2) *Quæ* bipartita *eſt*; altera *nempe* Morbi *ipſius, cum cauſis ei conjunctis, ablationem reſpiciens:* altera *verò compeſcendæ* Symptomatum *hinc inde criundorum ſævitiæ accommoda.* (3) Prioris (*quæ capitis hujus materia eſt*) *ſumma: &* ſcopi *præcipui:* (4) viz. *vitioſorum humorum in primis viis congeſtorum exterminatio per* Evacuantia; (5) *Galaxiæ* deobſtructio; (6) *Miaſmatis Scorbutici* correctio; (7) Viſcerum, *ſi qua ſeu temperie, ſeu tono læſa ſunt, in priſtinum vigorem* reſtitutio. (8) *Quibus* inſtrumentis primo *ſatisfiat ſcopo.* (9) *Quibus attingendus ſit* ſecundus. (10) *Quæ item conducant ad* tertium: (11) *quæque ad* ultimum.

Libero,

LIbero, illaborato & facili ſermone tra- *Art.* 1.
ditam nunc tandem audiviſtis, *Commilitones Conſultiſſimi*, ſententiam noſtram, de Morbi hujus graviſſimi natura, differentiis, cauſis, ſignis, aliiſque omnibus, quotquot ad clariorem ejus notitiam nobis denique comparandam requiſita, & conſideratione digna viderentur. Et veſtri, lubenter agnoſco, juris eſt, pari libertate de veriſimilitudine dictorum dijudicare. Mihi interim reliquum eſt, ne patientiâ veſtrâ videar ampliùs abuſum iſſe, ad ultimum, palmariúmque hujus tam prolixæ, ac tot tantíſque difficultatum nodis implicatæ diſſertationis ſcopum, velutíque coronidem toti operi imponendam, rectà accedere: *Methodicam nempe Morbi* θεραπείαν, *pro ipſius cùm Cauſarum continentium, tum urgentium maximè ſymptomatum indole diverſa inſtituendam.* In hoc quippe uno, tanquam ſuo in centro, univerſas priorum lineas capitum concurrere atque uniri oportet. Hícque mihi peropportunè in mentem venit prudentiſſimi illius conſilii, ab *Hippocrate* omnibus ſuis in artium excellentiſſima diſcipulis dati; de remediis maximè convenit eſſe ſollicitos, qui tam volunt, μὴ λόγῳ μᾶλλον, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ ἰητροὶ νομίζεσθαι, *non*

non ſermone tantùm, ſed & opere Medici haberi (ut eſt in *Lege*, t. 3.) *quàm nolunt gubernatoribus malis adſimilari: qui, quum in tranquillitate clavum tenentes, delinquunt, non fiunt manifeſti; quum verò deprehenderit ipſos ventus magnus, & tempeſtas, palàm tum conſpicui ſunt omnibus hominibus, qua ignorantia & culpa erroris ſui navem perdiderunt.* Boni certè Medici (qualem iſte φιλόσοφον ἰσόθεον non ſemel vocat) præcipuum officium eſt, ἡ τῶν νοσημάτων ἀναίρεσις: id autem non aliter poteſt, quàm per convenientiſſima & morbo & ægro remedia, ſuo quæque tempore adminiſtrata præſtari.

Art. 2. Τὸ θεραπεύειν verò, fidiſſimo ejuſdē *Hippocratis* interpreti, *Galeno* (cōment. *ad Aphor.* 38. *lib.* 6.) duobus modis dicitur: *uno* quidem, cùm omnia quæ ars præſcribit, tentantur, ut pars affecta ad ſanitatem, morbi ſublatione, reducatur; *altero*, cùm curatur, ut congruens paſſioni providentia adhibeatur; hoc eſt, ut ipſa demulceatur, ac mitior reddatur, mitigatione ſymptomatum. Exemplo igitur tanti viri, ejúſque auctoritate motus, duplicem ipſe quoque oſtendam Scorbuti, ſecundum Artis omnium diviniſſimæ præcepta curandi rationem: *alteram* nempe *morbo* ipſi

ipſi cum cauſis ei conjunctis auferendo; alteram ad compeſcenda ex utriſque *ſymptomata*, conſervatis interim quantum liceat ægri viribus, accommodatam.

Prior ex pluribus conſtat Scopis, ſemper quidem unũ in finem, *Miaſmatis putà Scorbutici extinctionem omnimodam*, dirigendis; ſed ſæpè variandis, pro varia ipſius cùm origine, tum progreſſu, & combinatione. Horum *præcipuos* (omnes enim pænè infinitum foret ſeriatim præſtituere; & vel prævidere, perarduum) quóſque ego & maximè in ſe generales, & ægrotis utiliſſimos eſſe futuros exiſtimem, ex ordine, paucis tamen expediam. *Art.* 3.

Primùm igitur, *Cruditates*, ſi quæ adſunt (& adſunt quidem ſæpiſſimè, in hac paſſim tragœdia primas tenentes, ſuóque in Chylum maleficio univerſi corporis Cacotrophiam indies augentes) in Chylificationis officina, aditúque Meſenterii congeſtæ; *ſui ablationem* per medicamenta ſeu ἄνω, ſeu κάτω clementer ducentia indicant: quò ventriculus vitioſorum humorum quaſi ſaburrâ ſic exoneratus, ſuóque quamprimùm redditus fermento, commiſſa ſibi exinde alimenta fideliùs digerendo ſit, atque puriorem in Chylum tranſ- *Art.* 4.

tranſmutando: útque aliis mox ſubſecuturis præſidiis liberior aperiatur tranſitus in corporis penitiora.

Art.5. *Deinde*, ſi qui venulis Lactiferis, híſque ancillantium in Meſenterio Glandularum exiliſſimis ductibus *infarctus* inſunt (id quod plerumque in Scorbuto arbitror contingere) ii quoque confeſtim *diſſolvi expediríque* deſiderabunt: ídque ne novus Chymi proventus in iſtis itineris ſui anguſtiis interceptus, ab ulteriori progreſſu prohibeatur; in ſpermaticarum partium ex eo nutriendarum ſuo dimenſo defraudationem, penuriámq; ſanguinis indè pariter inſtaurandi.

Art.6. *Tertio* loco *Corrigenda* veniet prava illa tum ſanguinis, tum Succi Nutritii *diſpoſitio*, ex qua miaſma Scorbuticum & primitùs emergebat, & indies denuò fovetur: hócque ut, deletâ tandem labe, ſuus utrique genius liquori reſtituatur.

Art.7. *Poſtremò*, ſi qua ex *viſceribus* fuerint inhærente diutiùs inquinamento inſigniter *læſa* (id quod jam inveteraſcente morbo ſæpius fit) iis quoque, pro peculiari cujuſque conſtitutione, próque illatæ natura injuriæ, tempeſtivè ſuccurrendum: ne

ne exinde, tanquam ex intùs relicta radice, malum denuò ſuccreſcat. Præ cæteris verò ſumma *Ventriculi* habenda ratio eſt; ut eo in priorem ἐυτονίας ſtatum revocato, finis imponatur Apepſiæ, omnium malorum fomiti.

Hos porrò ſcopos ad unguem uſque attingere cupienti Medico, *inſtrumentis* quibuſdam opus eſt peridoneis, ſelectiſſimiſque, & cuique eorum ſpeciatim, & ſingulari cum judicio accommodatis. Planiùs dicam, & ad tyrunculorum etiam captum, de unoquoque horum genere.

Ut *primo* ſcopo fiat ſatìs, hoc eſt, ut humores quomodocunque vitioſi è ventriculo, inteſtinis, Meſenteriique confiniis clementer ac ſenſim exturbentur; exordiendum eſt à benigniori *Purgatione*. Moderatâ quippe alvi laxitate, affectum hunc optimè demulceas. Talem verò cum tutiſſima confidentia licet expectare ab *Eccoproticis*, *Emeticis*, *Catharticis*, ſuo quibuſque tempore adminiſtratis. De his verò in genere animadvertendum; 1. Nullis propinanda eſſe φάρμακα ἐμετικὰ, præſertim ex τῶν δεξιτικῶν cenſu, niſi iis qui & ad vomendum ſint ſuapte jam ſponte per nauſeam proclives; & vomitiones olim *Art.* 8.

cum

cum εὐφορίᾳ & levamine pertulerint, quales εὐεμετικοὶ *Hippocrati* dicuntur. Hujuſmodi enim hominibus ἐμετοποιεῖσθαι τὴν ἄνω κοιλίην, ſalutiferum eſſe ſolet: aliter verò affectis, & periculi plenum, nec eventu proficuum. 2. His item, quos purgari oportet per inferiora, à *validioribus*, & dolorificas inteſtinorum vellicationes cum præcordiorum anxietate concitare ſolitis *Catharticis* planè abſtinendum. Talium enim ex uſu, experientiâ compertum eſt, & Scorbuticos in præſentiſſimum vitæ diſcrimen, inopinatâ virium proſtratione adduci, peccantíſque materiæ malitiam haud parùm exacui. Hîc igitur *Mitiorum* eſt delectus faciendus; quæ non ſemel, at *ſæpiùs*, & *ex intervallis*, pro exigentiæ ſimul & aſſumentis virium ratione, poſtulant exhiberi.

Art. 9. Ad *ſecundum* propoſitum artificialiter exequendum, comparata habemus *Attenuantia* & *Incidentia*, iíſque nominibus *Ecphractica* medicamina. Quorum de recto uſu paucula hæc obſervanda ſunt. 1. Ut ſemper à *lenioribus* incipiatur. 2. Ut impendiò *Ecphracticis*, ſi obſtructiones fuerint viſcerum adytis altiùs jam impactæ, ſi in craſſo aere homines degant,

ſi

ſi humores frigidi ſint, & craſſi, potiſſimùm agatur. 3. Ut in his etiam illa, quæ Scorbuto ſimul peculiari proprietate perhibentur adverſari, præ aliis eligantur. 4. Ut in *ſuccis*, *ſpiritibus*, *eſſentiiſque* deſtillatis, *conſervis*, potiùs quàm decoctionibus & extractis (quibus nempe medicamentorum ſal volatilis evaneſcere ſolet) exhibeantur. 5. Ut iis alternatim interponantur *Purgantia*; quò fluidiores nunc demum redditi humores vitioſi, foràs ejiciantur tempeſtivè; ſibi novas alioquin, ac nobiliores forſitan ſedes quæſituri.

Ad *Tertii* negotium ex animi ſententia expediendum in primis conducunt *Digeſtiva*, & *Antiſcorbutica* vulgo dicta. Quæ *ſale volatili* ubertim impregnata, eo nomine humores, ex deficiente adhuc πνευμαλώσει in ſtatu fixitatis remanentes *alterare*, hoc eſt, ad deſideratum fluxilitatis ac ſpirituaſcentiæ gradum promovere, ſenſimque perducere apta nata ſunt. In his *Salia volatilia* quæcunque primarium obtinent locum. Inter *Appropriata* verò, omnibus aliis efficaciâ præcellere creduntur *Cochlearia*, *Beccabunga*, *Armoracia*, *Chelidonium minus*, *Nummularia*, *Sinapi*, *Oxylapathum*, *Taraxicum*, *Helenium*, *Ruta* *Art.* 10.

mura-

muraria, *Angelica*, *Zedoaria*, *Baccæ Juniperi*, Gummi *Ammoniacum*, *Laccæ*, *viperarum* carnes & ſal volatilis; ex quibus varia *compoſita* ſolent præparari. His tamen non temerè, non indiſcriminatim utendum eſt; ſed cum cautione, factóque priùs, pro ægroti temperamento, ac pro indole ipſius etiam Scorbuti, delectu: ne per medicamenta tam calida & acria, ex ſe jam æſtuantes, infeſtíque acrimoniâ humores porrò exaſperentur.

Eundem in finem *venæ Sectio* etiam conducit. Sanguinis enim & expeditiori in orbem motui, & ab admiſtis impuritatibus quibuſcunque depurationi eximiè confert. Accedit, quòd exagitatus à ſpiritu ſive ſalino, ſive acido ſanguis, imminutione ſui meliorem ſpondet quietem. Admitti igitur in uſum *Phlebotomia* poſtulat in Scorbuto, quoties *Plethora* cum virium integritate adeſt; quoties *febris* vel imminet, vel jam afficit; quoties viris *hæmorrhoides*, *catamenia* mulieribus præter conſuetum ſuppreſſa ſunt: ſed ita, ut ubi maculæ & exanthemata jam prodierunt, omittatur; ut potiùs parca manu, & iteratis vicibus, quàm profusè, ac ſemel tantùm ſanguis educatur; ne vires collabantur, neu *Cachexia Leucophlegmatica*, aut

aut *Hydrops* ex ſic læſa ſanguificatione ſubſequatur.

Huc facit quoque *Diæta*, cujus in alterandis cùm ſanguinis, tum ſucci Nutritii intemperiebus, vis ipſis ferè medicamentis par eſt, & longè gratior ventriculo. Quam ob rem, ne medicamina inter & alimenta quid mutuæ ſuboriatur repugnantiæ, in curationis impedimentum ac dilationem; ſed ut hæc cum iſtis, conſimili facultatum ſubſidio, in reſtituendam Scorbuto affectis ſanitatem conſpirare poſſint: inſtituenda victûs ea ratio eſt, unde *morbo* ipſi, ejúſque tum *Procatarcticis*, tum *conjunctis cauſis* bellum pariter indicatur. Ea verò qualis debet eſſe, nullo penè negotio colligi poteſt ex iis, quæ de illis in utroq; genere cauſis ſupra in *cap.* 3. dicta ſunt: omnes quippe cauſæ illæ ſedulò vitandæ. Cætera nil opus eſt ſigillatim attingamus; cùm ſpeciminis locum occupent prædicta. Illud tamen in genere monendum duxi; *Diætam* maxima ex parte *incidentem* eſſe, *attenuantem*, *abſtergentem*, *deobſtruentem* debere. Videtis itaque jam tandem, quàm neceſſariò requiſita ſint ad *tertium* hunc curandi Scorbuti *ſcopum*, rectè & ex Medicorum inſtitutis aſſequendum, optima non ſolùm

Pharmaciæ, verùm *Chirurgiæ* etiam, atque *Diætæ* præſidia. Videtis etiam, qua ratione, & quemadmodum omnia iſta, ſuo quæque tempore, ad eundem finem ſint dirigenda.

Art. 11. *Quarto* denique ſcopo ſatisfacient *Corroborantia* quæ vulgo dicuntur; talia videlicet, quæ per morbum, ejúſve cauſam continentem partibus læſis, ſuam cuique εὐτονίαν, temperiémq; ſuam reſtituere comparata ſunt. Hujus ordinis *Cephalica* cenſentur, *Stomachica*, *Hepatica*, &c. huic vel illi ex viſceribus coctioni publicæ deſtinatis, ob peculiarem quandam virtutis congruentiam, experientiâ compertam, *Appropriata*. Quorum in uſu id univerſim oportet obſervari; ut inveſtigato priùs, quæ corporis partes præcipuè ſint in *conſenſum* tractæ, quáſque inprimis humores vitioſi *occupârint*: ad eas præſertim cura dirigatur, in priorem ſtatum revocandas; ídque per remedia tum iſtis in ſpecie dicata, tum miaſmati Scorbutico adverſantia. Eligantur verò præ cæteris, quæ *Ventriculo* jam propè emortuum fermentum reſtituant; ad Chyli & concoctionem minùs tardam ac infidam, & ab inutilibus recrementis ſeparationem, in aditu Meſenterii, ſtrenuè conducant; híſque nomini-

minibus, illatam ſanguini ſimul & ſucco Nutritio labem penitùs deleant.

Atque hæc quidem de iis, quæ in curatione Scorbuti *in genere* & ſummo ſtudio inſtituenda ſunt, & ea quam præſcripſimus methodo in actum deducenda, compendio dicta ſunto. Quibus in exequendis ſi quis communicato hîc à nobis conſilio auſcultaverit; ne deſpereat, quin compos voti factus, brevì habeat quod cœlo imputet. Interim inſtituti hujus noſtri poſtulat ratio, ut ad curationes ſingulis ejuſdem morbi *differentiis*, pro cauſarum has conſtituentium diverſitate, ſpeciatim *accommodandas* progrediamur.

CAP. XI.

Scorbuti Rancidi *Therapeia.*

SUMMARIUM.

ARTIC. 1. *Præcipuam curandi hujus Scorbuti rationem in eo potiſſimùm conſiſtere, ut Sanguis* Sulphure *præſertim diſtemperatus, ab eo quamprimùm vindicetur.* (2) *Cui propoſito conducunt* Cholagoga *temperatiora*; (3) Phlebotomia, *ſuo tempore adminiſtrata*; (4) Digeſtiva *ſeu Alterantia mitioris genii, &* Antiſcorbutica *pariter lenia*; (5) *quorum numero accenſentur* Acidulæ, *vitriolo, ſale nitro, Alumine, &c. impræg natæ*; (6) Corroborantia *ſpecifica.*

Art. 1. IN Scorbuto igitur CALIDIORI, quem à ſanguine *rancido* ſuprà deductum vidiſti; quandoquidem videtur cauſa ipſius proxima non aliunde quàm ex *bilioſis* ſeu *Sulphureis* particulis, initâ cum nonnullis etiam *ſalinis* ſocietate, in ſanguine præſertim luxuriantibus, efferatis, dominiúmque in cætera ejus elementa ferociter

rociter exercentibus petenda : idcirco medendi leges poſtulant, ut ad eum per cauſæ ablationem *curandum*, hujuſmodi adhibeantur remedia, quæ ſic diſtemperatum ſanguinem valeant ſulphureâ ſuâ intemperie ſenſim exuere. Hujus ſortis ſunt.

I. *Purgantia* ex *Cholagogis* temperatioribus compoſita (exulent enim *Aloetica* omnia, & *Scammoniata*; ne humoribus majorem adhuc fervorem cum acrimonia conciliando, malum exaſperent) vehiculis attenuantibus quidem, ſed bilis æſtum ſimul contemperantibus diluta, vicibúſque per intervalla iteratis propinata. *Art.* 2

II. *Sanguinis* Ἀφαίρεσις per *Phlebotomiam.* Hæc quippe in hoc caſu ἡγεμονικὸν καὶ δραστικώτατον remedium eſt : tum quia nonnihil cauſæ etiam continenti detrahit; tum quòd ſanguinis reſiduo & potenter contemperando, & ſenſim purificando præ cæteris omnibus inſervit (quippe impuri ſanguinis per repetitam venæ ſectionem detracti in locum, laudabilior indies, ac defæcatior ſuccedit) dummodo non profuſiori & unico tempore factâ ſanguinis emiſſione, ſed parcâ manu, vicibúſque prudenter partitis adminiſtretur. Hîc igi- *Art.* 3.

tur Philoſophum Medicum, non agyrtam aut circulatorem ſe præſtare oportet; ſed ægroti habitum, vires, ætatem, conſuetudinem, ſymptomata maximè urgentia, intentâ mentis acie contemplari: τούτων γὰρ οὐδεὶς ἀστάθμος ἐστιν; ut rectè dictum ab *Hippocrate*, illo viro fuit, cui magno ſuo merito, tanquam parenti omnis Medicinæ, omnes aſſurgimus. Ac ſi morbus jam radices egerit, & ſanguinis jam adſit magna corruptio, ac cacochymia ſine plethora; eáque totum ita corpus occupaverit, ut jam maculæ effloreſcant hinc indè in cute; vix venæ ſectio tentanda: ſed tum potiùs ad Cachexiæ Scorbuticæ correctionem per alterantia (ventris colluvie priùs averruncatâ) accedendum.

Art. 4. III. *Digeſtiva* ſeu alterantia *temperatiora*, quæ ſanguinis *Sulphureo-ſalinam* intemperiem corrigant, ejúſque orgaſmos ac efferveſcentias immoderatas leniendo componant; tum miaſma Scorbuticum ex particularum *Sulphurearum* cum *Salinis* combinatione accenſum extinguant. Hujus commatis nec immeritò cenſentur radices *Scorzoneræ*, *Fæniculi*, *Cichorii*, *Oxylapathi*, *Petroſelini*, *Chinæ*, *Graminis*, *Eryngii*. Herbæ, *Endivia*, *Fumaria*, *Taraxicum*, *Scolopendria*, *Scabioſa*, *Ulmaria*, *Bor-*

Borrago, *Chamædris*, *Chamæpitis*, *Chærefolium*, *Beccabunga*, *Cardamines*, *Lujula*, *Tamariſcus*; flores *Geniſtæ*, *Sambuci*, *Lupuli Salictarii*, *Pæoniæ maris*, *Calendulæ*; fructus, *Uvæ paſſæ*, *Corinthiacæ*, *Poma fragrantia*, *Pruna Damaſcena*, *nuces juglandes* cum putaminibus immaturæ, mala *Citria*, *Limonia*, *Aurantia*, *Pini*; Semina *Cardui-benedicti*, *Melonum*, *Citrii*, *Fraxini*, *Endiviæ*, *Erucæ*, &c. quomodocunque parata, præcipuè verò ad formam *Apozematis* coquendo redacta; ut eo expeditiùs ſeſe in penitiora & ductuum Chyliferorum, & viſcerum penetrare, viréſque ſuas in iſto itinere minùs retuſas quaquaverſum, deferente ſanguine, diffundere poſſint. In hominibus autem calidiori præditis temperamento, ínque maciem indè pronis; abſtinendum ab *Cochleariæ*, *Raphani Sylveſtris*, *Corticis Winterani*, aliorúmque id genus *acrium*, *ſaléque volatili* abundantium Antiſcorbuticorum uſu: eorúmque loco admittenda ſunt *Lac aſininum*, ſucco *Taraxaci* alteratum, aquæ ex mitioribus Antiſcorbuticis cum *pomacio* non acido, aut ſero *lactis vaccini* deſtillatæ; & ipſum lactis *ſerum*, à coagulo adhuc tepidum, ad libræ unius quantitatem, ſingulo manè atque crepuſculo, per plures ſeptimanas, exhibitum; inſtillatis priùs in unamquam-

que doſin guttulis decem, vel pluribus ſpiritûs *Cochleariæ*, aut *Salis dulcis*. Ut unâ fideliâ plures ſimul dealbentur parietes; hoc eſt, ut bilioſæ ſanguinis dyſcraſiæ, ſimul & Scorbutico miaſmati, tum impendenti Atrophiæ proſpiciatur.

Art. 5. Iiſdem indicationibus pari cum emolumento ſuffecturas equidem ſpondeo *Aquas Minerales*, *Acidulas* vulgo dictas; quæ ex admiſtione ſpiritûs vitrioli, ſalis nitri, & Aluminis (quæ mineralia nunc quidem ſimplicia, ſed frequentiùs cum aliis mineralibus magìs aut minùs commixta in terræ viſceribus, inprimis in ferro reperiuntur) plerumque ſolent oriri. Hujuſmodi fontium magna eſt copia, in variis regionibus, eis præſertim ubi fodinæ ferreæ abundant: & ſola in *Germania* numerus eorum ad millenarium ferè accedit; affirmante *Doctiſſ. Bernhardo Vareno*, *Geograph. general. cap.* 17. *lib.* 1. In *Britannia* verò noſtra celebriores ſunt *Barnettenſes*, *Ebeſhamienſes*, *Tunbrigenſes*, *Aſtropenſes*, *Scarburgenſes*, & qui è rupe S. *Vincentii* prope *Briſtolliam* urbem ſcaturit. Harúmque Acidularum excellentes virtutes, in præfervido ſanguine tum ad juſtam temperiem reducendo, tum ab impuritatibus Sulphureo-ſalinis clementer, quà per urinam,

nam, quà per diaphoreſin repurgando, ſed & expediendis inſuper viſcerum obſtructionibus; adeò omnibus non ſolùm Medicis, verùm indoctæ etiam multitudini notæ ſunt, ut noſtro præconio neutiquam indigeant. Nec eſt quòd in præſcribendis regulis in earum uſu legitimo obſervandis immoremur: id enim ab aliis factitatum. Illud autem in genere ſubinnuere viſu eſt, *doſin* quotidie vel augendam, vel diminuendam eſſe, pro expeditiori vel tardiori aquarum permeatu; ritè obſervato interim tum in diæta, tum in exercitiis regimine, quod Oxypotis ſolenne eſt: *Temperíque* pariter Acidulis bibendis impendendum, longius aut brevius eſſe debere, pro majori minoríve aſſumentis euphoria & emolumento.

Emenſo demum Acidularum, cum intercalatis ſemel in hebdomade purgationibus, ſtadio; quamprimùm progredi expediet ad ea, quæ curationi ſuſceptæ ſupremam manum adjiciant: hoc eſt, quibus inſint facultates, cùm ſanguinem in adhuc meliorem temperiei expanſioníſque æquabilis diſpoſitionem reducendi, tum ventriculo cæteríſque viſceribus nutritioni famulantibus priorem εὐπηγίας & εὐπεφ'ξίως ſtatum reſtituendi. Inter hæc facilè primas obtinere *Art.6.*

nere perhibentur *Vina Oligophora*, tenuia & ſubacida; temperatioribus quidem, ſed aromaticis, ventriculóque minùs ingratis *Antiſcorbuticis* (cujuſmodi ſunt *Pimpinella*, *Mentha*, *Borrago*, *Fæniculus*, *Angelica*, *Meliſſa*, *Ulmaria*; flores *Aurantiorum*, *Sambuci*, *Caryophyllorum*, *Geniſtæ*; cortices *Citrii*, *Aurantii*, *Cinnamomi*, &c.) nobilitata, & ad ſobrietatis normam aſſumpta. Item confecta ex *Pomorum fragrantium*, *Ceraſorum*, *Ribium*, *Mororum*, &c. Succis vina, poſt debitam fermentationem ac maturationem in uſum quotidianum recepta. Atque *Cereviſiæ medicatæ*, in quibus radices *Lapathi acuti*; ſummitates *Tamariſci*, *Pini*, *Abietis*; flores *Sambuci* fuerint incocti; aut *Lingua Cervina*, *Naſturtium aquaticum*, *Beccabunga*, cum pomis *Citriis*, *Aurantiiſve* totis in taleolas confectis infuſa.

CAP.

CAP. XII.

Scorbuti à ſale fixo *exorti Curatio.*

SUMMARIUM.

ARTIC. (1) *Propria Scorbuti hujus* Antidota, *vires ſuas non aliunde ſortiri, quàm à* Sale Volatili, *quo ubertim donata ſunt.* (2) *Horum maximè* Celebrata *conjiciuntur in Elenchum: ubi primò ponuntur* Simplicia, & (3) *deinde* Compoſita; Aquæ *ſcilicet* Deſtillatæ, Spiritus, Tincturæ, Syrupi, Electuaria, Pulveres: (4) *quibus* Cathartica *ſæpiùs interponi oportet; & qualia.* (5) *Utriſque ſuccedere debent* Diuretica *nonnunquam, &* Diaphoretica *appropriata.* (6) *Agmen claudunt* Corroboranta: (7) *in quibus palma* Aromaticis *aliquot conceditur,* viniſque oligophoris. (8) *Ac* ſimpliciora *compoſitis jure præferuntur.*

CÆterùm, ubi curandus occurrit *Secundæ* ſpeciei Scorbutus; quandoquidem cauſa ipſius proxima in ſanguinis motu expanſivo, & πνευματώσει per SALEM FIXUM *Art.* 1.

FIXUM præpeditis conſiſtere videtur: idcirco præſidium vix aliunde licet ſperare, quàm ex hujuſmodi medicamentis, quæ *Sale Volatili* ubertim donata ſunt, quæque eo potiſſimùm nomine ad corrigendam illam ſanguinis Μόλυνσιν præ cæteris conducere creduntur. Horum ingentem ſylvam almæ, & mortalium neceſſitatibus ubique proſpicientis Naturæ benignitas protulit; unde judicio pollens Medicus talia poteſt ſibi in uſum excerpere, quæ & reliquis omnibus virtutum efficaciâ longè præſtent, & præſenti ægrotorum ſtatui, conſilióque ſub manu nato ſint quàm maximè accommodata.

Art. 2. Inter SIMPLICIA, ſummis, nec ſupra meritum elatis laudibus celebrantur radices *Armoraciæ, Petaſitidis, Ari, Zedoariæ, Taraxaci, Angelicæ, Helenii, Oxylapathi, Contrayervæ, Serpentariæ Virginianæ*, quinque *Aperientes:* cortices *Fraxini, Winteranus, Tamariſci, Cinnamomi, Aurantiorum, Juglandium nucum Viridium:* folia *Cochleariæ, Beccabungæ, Naſturtii aquatici, Chelidonii minoris, Nummulariæ, Trifolii, Scordii, Virgæ aureæ, Abſinthii, Chamædryos:* flores *Sambuci, Geniſtæ, Roriſmarini, Pæoniæ maris:* fructus, *Mala Aurantia ſubacida, Citria, Poma Pini:* Baccæ *Juniperi,*

niperi, Ebuli, Hederæ: Semina *Erucæ, Sinapios, Aquilegiæ:* Gummi *Ammoniacum, Galbanum, Terebinthina, Lacca:* ex arte præparata, *Cremor Tartari, Chalybs cum ſulphure præparatus, Spiritus Cochleariæ* ſine fermentatione (ne ſal volatilis interim exhalet) extractus, *ſalis* rectificatus, *Cornu Cervini, fuliginis, Ammoniacus, Tartari compoſitus, Sulphuris, Vitrioli*, &c.

Ex COMPOSITIS, generoſiora cenſentur Aquæ deſtillatæ, *Raphani compoſita, Lumbricorum magiſtralis, Limacum magiſtralis* (omnes in *Pharmacopœia Londinenſi* reformata deſcriptæ) *Prophylactica* Sylvii, *Spiritus Lumbricorum compoſitus* Mollenbrochii (in Arthritide vaga Scorbutica laudatiſſimus) *Antiſcorbuticæ Dorncrellii, Doringii, Sennerti, Quercetani* (quarum formulas ſub uno aſpectu poſitas videre eſt apud *Cl. Sennertum, de Scorbuto cap. 6.*) *Mynſichti* (in *ſua Pharmacop. pag.* 185. deſcripta) *Williſii* (lib. *de Scorbuto*, cap. 7.) &c. *Art. 3.*

Tincturæ *Ronſæi, Sennerti, Williſii, Martis Mynſichti*, in menſtruis appropriatis extractæ. *Item Spiritus Antiſcor-*

tiſcorbuticus compoſitus, à *Freder. Deckers* in notis ſuis ad *Praxin Barbettianam*, *pag.* 157. laudatus.

Syrupi, Scelotyrbicus *Forreſti*, *Cochleariæ compoſitus* Practici cujuſdam Uratiſlavienſis (uterque à *Sennerto* poſteris commendatus) *Antiſcorbuticus Mynſichti*, Magiſtralis *Williſii* (*lib. de Scorbuto*, *pag.* 264. *edition. Londinenſ.*) qui cæteris omnibus videtur anteferendus. Horum tamen uſum exiſtimo nemini, niſi delicatioris palati, concedendum; tum quia in eorum præparatione vix fieri poteſt, quin magna pars Spirituum volatilium, qui herbis inſunt antiſcorbuticis, undéque ſuas maximè virtutes nanciſcuntur, in aerem diſpergatur inter coquendum: tum quòd ſuccus ille in ſalis formam concretus, quem *Saccharum* vocamus, ut ut palato dulcedinis ſpecie ſubblandiatur, reverà tamen *ſalem* quendam in ſe continet *acerrimum*, & *corroſivum*. Id quod ex ejus analyſi Chymicorum igne facta planè conſtat: quippe Saccharum per ſe deſtillatum, liquorem largitur vix aquæ Chryſulcæ acrimoniâ & vi corrodente inferiorem. Adjicias & alias rationes, quibus Saccharum, & Saccharata omnia Scorbuticis nocere abundè

bundè probant *Dorncrellius* in præfatione *Diſpenſatorii*, & *Mollenbrochius* in tract. *de Arthrit. Vaga.*

Electuaria, *Danicum* ex baccis quas *Multiber* vocant confectum, deſcriptúmque à *Georg. Horſtio in Pharmacop. Univerſali*; Antiſcorbuticum *Scroderi*, in *ſua Pharmacop. pag.* 185. cum multis aliis apud *Sennertum*, *Williſium*, alios extantibus.

Pulveres, *Birckmanno* cuidam adſcriptus, à *Quercetano* (*Pharmacop. dogmat. reſtitut. lib.* 1. *cap.* 20.) reformatus, & *Pharmacop. Londinenſ.* ſub titulo *Ari compoſit.* deſcriptus : Antiſcorbuticus *Salomonis Alberti*, ad ſudores ciendos: *Williſii, de Scorbut. pag.* 260. *edition. Londinenſ.* &c.

De hujuſmodi remediis in formam ſolidiorem concinnatis, illud in genere notandum; ut iis in ventriculum exceptis paulò poſt ſuperingerantur & alia appropriata, conſiſtentiæ *liquidæ*; quæ ipſis vehiculo ſint, viréſque jam in actum erupturas in ſanguinem uſque expeditiùs deferant, & per univerſum corpus diffundant.

dant. Utriuſque autem generis medicamenta ter aut quater ſingulis diebus repetenda ſunt; manè ſcilicet, ſub meridiem, circa quartam pomeridianam, & crepuſculo: ſed quantitate uniuſcujuſque conſtitutioni ac ætati examuſſim conveniente.

Art. 4. Cæterùm his Antiſcorbuticis ſæpiùs interponi debent *Cathartica*; ea præſertim, quæ particulis conſtant aſperioribus, volatilibus, motúque ſuo ventriculum ac inteſtina ad expulſionem enixè ſollicitantibus. Hujuſmodi ſelectiora ſunt *Pilulæ* ſtomachicæ cum Gummi, Melanogogæ *Quercetani*, Tartareæ *Bontii*, Antiſcorbuticæ *Timæi*, à D. *Deckers in not. ad Praxin Barbettianam*, pag. 148. *deſcriptæ*; item Fætidæ *Pharmacop. Londin.* noſtræ ex Ammoniaco, &c.

Pulveres, Diaſennæ, Diaturbith cum Rhabarbaro, *Comitis Warwicenſis*, *Sennerti* ad extirpandum Scorbutum, &c.

Electuaria, De Citro ſolutivum, Diabalzemer, è ſucco roſarum, Diaprunum *Sylvianum*, Caryocoſtinum, &c.

Vinum

Vinum Solutivum ſequens. ℞. herbar. Cochleariæ, Naſturtii aquatici *ana* M. j. Rutæ murar. M. ß. radic. Armoraciæ, Polypod. quern. *ana* ʒij. Hellebor. nigri præpar. Zalapii *ana* ʒß. folior. Sennæ elect. ʒj. flavedin. Aurantii ʒij. Cinnamomi acerrimi ʒj. ß. Macis ʒj. Tartari albiſs. ʒiij. Conciſa & craſsè contuſa inſuantur ſacculo, vasíque lapideo imponantur; affundendo vini Gallici vel Rhenani pintas quatuor. Poſt infuſionem in B. M. clauſam, exhibeantur ad ʒ 4. vel 5.

Aliquoties alternatis per intervalla *Digeſtivis* & *Catharticis*, quæ ad corrigendam ſanguinis ἀπνευμάτωσιν ſuo quodque modo faciant; ſi morbi tanta fuerit contumacia, ut adhuc haſtam abjicere detrectet: tunc ex uſu erit, ad hujuſmodi Antiſcorbuticorum opem redire, quæ partim ſenſibiliter per *Urinas* & *ſudores*, partim per *Diaphoreſin* inſenſibilem, fixi in ſanguine ſalis reliquias valeant exterminare: facto eorum delectu, pro naturæ inclinatione, ac vergentia humorum; ut citra horum aut illius repugnantiam vires ſuas exerceant. Itaque ubi materiam Tartaream ad *renes* præſertim, ducente naturâ, tendere videt Medicus; eò & *Art.* 5.

ſuas quamprimùm manus auxiliatrices obvertat, *Diuretica* (quorum haud exigua pars cum Antiſcorbuticis coincidunt) liberiùs exhibendo: ſed & nonnunquam, in hominibus nempe calidioris temperamenti, confugiendo ad *Acidulas*, præcipuè *ferratas*, quarum de utilitate in hujuſmodi Scorbuto, videatur Epiſtola *Ronſſæi*. *

* Interim nemini Medicorum ignotum est, solius fere potûs ope salina & terrestria sanguinis excrementa per urinam exigi.

Ubi verò Scorbutici humoris reliquiæ, in *ambitum* corporis diffuſæ, illic hærere obſervantur; inde diſcuti deſiderant *Diaphoreticis*, ſeu in Laconico, ſeu extra propinatis. Quo nomine ſummis laudibus apud emunctiores celebrantur ſudores, *Theriaca Saxonica Mynſichti*, *Eſſentia Fumariæ*, *rob Sambuci*, *viperarum ſale volatili* (de cujus rectè conficiendi modo, conſule *D. Charas* librum Gallicè nuper ſcriptum, *ſur la vipere*) ſale *Abſinthii*, *Cardui-benedicti*, *Bezoardico* minerali, *Antimonio Diaphoretico*, & ſimilibus *Hidroticis* excitati.

Art. 6. Ita tandem expulſis, διὰ τῶν ξυμφερόντων χωρίων, humoris Scorbutici ἐγκαταλιμπανομένοις (ex *Hippocratis* ore loquor) ſævitiâque Symptomatum uſque eò devictâ, ut in eorum ſenſim evaneſcentium locum quies ac

ac ſtatus ἀναλγησίας inceperit jam ſuccedere: aliud nil medico reſtabit agendum, niſi ut *Corroborantia* ſimul & *Analeptica*, apoteleſmatis loco, præſcribat. Hîc enim ei illud inprimis incumbit, ut calor ille, qui ſanguinis & indigena & conſervator exiſtit, omniúmque in corpore actionum cauſa; ſucceſſione Chyli commodâ fiat luculentior, alacrior, vitalior. Quod tum fiet, quum convaleſcentes ligna ſuper foco largè reponent. Sed quæ? verbo dicam; talia tum alimenta, tum medicamina, unde ſpiritibus denuò refectis, ſanguis quàm ante purior, & concipiendo expanſionis motui pronior, influat à corde in cætera viſcera. Quibus, ubi à ſeroſitate ſanguinis laxata, debito carent tenore; opitulari conveniet per moderatam recalefactionem, reſiccationem, adſtrictionem.

His igitur, qui *ſalino* hujuſmodi Scorbuto recens levati, ad perfectã valetudinẽ quotidiè propiùs aſpirant; equidem commendare auſim, præ cæteris corroborantibus, *Aromatica, vináque oligophora*. Hæc, quoniam nihil æquè ſpiritibus vitalibus faciat reficiendis (ſolo enim vini odoratu deficientes revocamus) & quia craſſos, ſaléque fixo detentos in ſtatu cruditatis

humores, incidant, attenuent, rarefaciant; hoc eſt, in ſubtiles particulas, minutiſſimóſque globulos, & tranſire per inconſpicua arteriolarum cutanearum oſtiola aptos, dividant, & diſtrahant, & diſcutiant. Et in hoc negotio, quid amplius volumus? *Illa*, quia hujuſmodi contexturam ſortita ſunt, unde jugi fluore quaſi deradiantia corpuſcula ſubtiliora, odoris gratiſſimi ſpecie, ventriculo robur affleant, effœtumque ipſius fermentum motibus ſuis velocioribus exagitando reſuſcitent. Ut *utraque* in unum conjungas; *Vina Medicata*, ex herbis Antiſcorbuticis, ſimul & gratos odores expirantibus, vino vel *Gallico* tenuiori, vel *Baccharacenſi* horno, maturimò infuſis confici curato; vires à Scorbuto recollecturis moderatè propinanda. In his verò ſeligi meretur *Marathrites* (*Fœniculatum* nos vaſis inſcribimus, propter Medicamentariorum pueros) de quo teſtatur *Caſſianus*, *cap.* 9. quod Μαραθείτης οἶνος ὄρεξιν κινεῖ, στόμαχον ῥώννυσι, διεγτικός ἐστι; *Vinum è fœniculo appetitum excitat, ſtomachum roborat, & Urinam prolectat*, Cui pleno ſuffragatur ore etiam *Dioſcorides* (*in* 5. *de mat. Medic.* 74.) & noſtra item experientia, cum ſucceſſu ſemper proſpero conjuncta.

Hujuſmodi

Hujuſmodi equidem *medicamenta alimentoſa*, euporiſta, & minus compoſita, ideo laborioſis, ac permagnâ ingredientium farragine conſarcinatis longè præfero; tum quia mihi religioni eſt, velle in cubitalibus iſtis ſchedis quærere, quod unum in victu, naturaliſſima ſanè medicina, reperire eſt: tum quòd multis magníſque laudibus apud genuinos artis noſtræ myſtas, & meritiſſimè extollitur illud *Arnoldi de Villa-nova* (*Parabol. med.* 15. *p.* 391.) *Potens mederi ſimplicibus, compoſita medicamina doloſè, aut fruſtra quærit.* Atq; hactenus me profiteor diſcipulum *Herodici Selymbriani*, quem *Plato* (*De Repub.* 3.) refert inſtituiſſe *Medicinam Pædagogicam*, ſive quæ *victu* ac *exercitiis*, in rem accommodatis, valetudinem corporum & ſuſtineret, & redderet. *Art.* 7.

CAP. XIII.

Curatio Scorbuti ex Acido *præsertim oriundi.*

SUMMARIUM.

ARTIC. (1) *Belli contra hunc hostem gerendi* ratio, *in compendium redacta:* (2) telorúmque *Synopsis, quibus in prælium descendenti utendum.* (3) *Quo consilio primùm præscribuntur* Alviduca benigniora; (4) *tum* Ecphractica; (5) *deinde quæ* Acidum *utcunque expugnent*, salia *nempe* volatilia, *pulveres* Testacei, sales concentrantes *vulgo dicti*, Emulsa oleosa, Chalybs *cum sulphure præparatus*, Acidulæ ferratæ *naturales*, (6) *quæ plus uno nomine anteponuntur arte Chymicorum* compósitis; (7) Lacticinia, *temperatioribus* Antiscorbuticis *dilata*; (8) *& postremò* Corroborantia. (9) *His tamen ferias per intervalla interponendas.*

Art. 1. JAmque perventum est tandem ad rectè instituendam Scorbuti illius, quem ex

ACIDO

ACIDO miaſmate, tum ſanguinis amnem purpureum, tum ambroſiam nutritiam inſigniter corrumpente, ſuprà deduximus, *Curationem.* Hujus igitur ſumma in hoc unum recidere videtur; ut ambo illi humores (quorum alter vitæ ipſius fons ſimul & pabulum eſt, alter partibus perpetim reſarciendis inſervit) ab omni *acore immoderato*, undecunque concepto, penitùs vindicentur. Sed hoc artis, hoc ſummæ induſtriæ eſt. Namque,

Hoſtem adeo immanem, adeo inſidioſum expugnare aggredientibus, opus eſt & generoſiſſimis, nec citra ſummam prudentiæ cautelam in aciem explicandis præſidiis. Caſtra illius nunc aperto Marte invadenda; nunc in occulto actis quaſi cuniculis perfodienda: & ferro, ignéque agendum, ut ejus vires acerrimæ deſtruantur. Apertiùs dicam; *Eccoproticis*, *Cathartícis*, *Ephracticis*, *Antacidis*, *Chalybeatis*, *Acidulis*, *Antiſcorbuticis*, *Corroborantibus* & *Analepticis*, contrà inſurgenti Medico ſeriatim utendum eſt: ad eluendam abdominis cloacam; ad oppilationes Glandularum Chyli, ſuccique nutritii depurationi famulantium expediendas; & ad indè, vel aliundè ſcaturientem ſanguinis, et ſuci alibilis aciditatem de integro extinguendam; *Art.* 2.

dam; viréſque demum reficiendas. Et hæc quidem de variis armorum telorúmque generibus, quæ contumaciſſimo huic morbo fortiter profligando commodiſſima nobis videntur, in genere dicta ſunto.

Reliquum eſt, ut de rationibus eorundem paucula ſubjungamus; à primis ad ultima viritim decurrendo.

Art. 3. Exordiendum eſſe ab *Eccoproticis* dixi; tum quia ad demulcendum hunc affectum nihil magis compertum eſt conducere, quàm moderatam alvi laxitatem; qua ſucci crudi ac acido-ſalini è ventriculo, inteſtinis, Meſenteriique confiniis clementer exturbari ſolent: tum quòd experientiâ pariter edocti ſunt Medici, ex catharticis ſævioribus, maximè in curationis initio exhibitis, & graviores concitari in ventre dolores, & quaſi nova tempeſtate vires porrò exhauriri. Sufficiant itaque ſuo tempore Leniora. Nec inſcitum illud quidem veteribus, dum *atram bilem*, *i. e.* ſuccum Melancholicum, mitioribus aggrediendum voluere. Adhæc, commodiſſimè viam præparant *Venæ Sectioni*; unde haud parum emolumenti hiſce ægris licet ſperare. Nam exagitatus à ſpiritu Acido ſanguis, Phlebotomia moderata imminutus, &

& meliorem quietem, motúmque æquabiliorem ſpondet.

Proximum his locum aſſignavimus *Ecphracticis*; quoniam in hoc morbo ſæpiùs contingit, ut Glandulæ tum *ſecretrices*, tum *reductrices* obſtructionibus obſeſſæ, muneribus ſuis malè defungantur; neque aliter ad officia ritè præſtanda poſſint, niſi per deoppilantia revocari. Horum autem è claſſe Deobſtruentia ſeligi debent *mitiora*, *Antiſcorbuticis* quoque minùs calidis aſſocianda. *Acidi* enim ubique ſævientis contemperationem ratio præpoſtulat, priuſquam ad valentiora procedatur. Hîc itaque apprimè conveniunt, quæ in Practicorum Scriptis paſſim adverſus *Affectionem Hypochondriacam* ex viſcerum obſtructionibus, præſcripta ſunt. *Art.* 4.

Tertiò occurrunt *Antacida* (mihi fas ſit, precor, voce ſpuria uti, dum genuinam deſidero) quæ humoribus impreſſum acorem, ſeu *contemperando*, ſeu *figendo* ac *præcipitando*, ſenſim refringant; & ad Chyli tum concoctionem minùs tardam, ac infidam, tum ab inutilibus recrementis ſecretionem in Meſenterii aditu, conducant. *Horum* autem, ſi vires & agendi modum diverſum ſpectemus, haud unum genus *Art.* 5.

genus conſtituendum eſt. *Alia* quippe humorum aciditatem ideo contemperare arbitror, quia virtute ſua *volatili* planè vincant; cujus energiæ ſunt *Salia* quæcunque *Volatilia*, *Viperarum* nempe, & *Ammoniacum*; itémque Spiritus *Cornu Cervini*, *Fuliginis*, *ſanguinis humani*, *Lumbricorum magiſtralis*, &c. Quod enim Spiritus *Vitales* in Sanguine, & in ſucco Nervoſo *Animales*, ubi rectè conſtituti ſunt, aliàs præſtare debent ac ſolent: id ipſum *Volatiles* aſſumpti præſtiterint in utroque liquore; & *his* effeceris, in quo defecerint *illi*. *Aliis* infringendi acorem vis ineſt; ut pulveribus *Teſtaceis*, *oculis* nimirum, & *chelis Cancrorum*, *Margaritis*, *Ovorum teſtis*, *Coralliis*, *Cretæ albæ*, *Succino flavo*, & ſimilibus: à quibus ſales *acetoſi*, in ſanguine juxta ac ſucco Nutritio ſoluti, & luxuriantes, aut *imbibuntur* (ut nonnullis concipere placuit) aut (ut alii voluere) *figuntur*, *i.e.* à motu & orgaſmo prohibentur. His accenſendi ſunt & *ſales Concentrantes* dicti; quibus per *elixiviationem* confectis, par ineſſe creditur omne acidum domandi poteſtas: eo forſitan modo quo ſalis manipulus, cereviſiæ ebullienti injectus, deturbat fæces, liquorémque clarefacit. Item Emulſa *oleoſa*, *pinguiuſcula*; quæ quia acrimoniam cujuſvis

vis humoris obtundere nôrunt, ideo ſuas quoque partes compeſcendo Melancholiæ acori conferant. Accedit deniq; *Chalybs*; qui non pondere ſuo prodeſt; non ecphractica ſeu aperiente facultate, qua reverà deſtituitur; non cognatione acoris, quæ ferrugineo cuivis intercedit cum vitriolato; neq; etiam ſtypticitate ſeu aſtringendi poteſtate, qua inſignitur: aſt multo veriſimiliùs quòd mala Hypochondriaca ferè omnia à *fermentationis* violentia proficiſci videantur; eidémque compeſcendæ Chalybs ſummoperè conducat. Quippe ſi aceto etiam acerrimo (cui ſeroſa Melancholicorum colluvies certè haud multùm abſimilis exiſtit) limaturam ejus, per noctis ſpatium indideris; poſtridie pro aceto aquam invenies, omni acore ſpoliatam. Quemadmodum à nobis ante decennium indicatum, in conſilio quodam Hygiaſtico, pro illuſtriſs. excellentiſſimóque Heroe, *D. Johanne Luca*, Marchione *Durazzo*, Melancholia Hypochondriaca tunc temporis afflicto, conſcripto, & paulo poſt in lucem emiſſo. Hoc pariter nominê medelam huic malo ſpondent *Acidulæ Ferratæ*; utpote quæ Chalybis ſeu ſpiritum dulcificantem, ſeu minutiſſima ramenta, aquis ſuis diluta ferunt; indéque eximiam adverſus aciditatem

ditatem Melancholiæ virtutem ſortiuntur.

Art.6. Hoc autem de Acidulis tantùm *Naturalibus* intelligi volumus. Nam quod ſpectat ad *arte paratas*; ſunt quidem ex tumidis *Paracelſi* Sectatoribus, qui, ut neſcio quibus *Hermeticorum* Magnalibus apud credulum vulgus arroganter jactatis, ſibi reconditioris ſcientiæ famam compararent, gloriati ſunt, tales ſe ex Chalybis in ſalem, aut pollinem redacti ſolutione in aquis deſtillatis conficere poſſe; naturalibus non ſolùm per omnia pares, verùm etiam eo anteferendas, quòd quicquid illæ ingenti copia hauſtæ perhibentur præſtare, id hæ quoque perexiguâ, & quaſi per compendium efficiant. Horum tamen fidem ſuſpectam habēmus. *Primò* enim Acidularum & Thermarum, quas ipſa in terræ viſceribus præparatas effundit Natura, ea eſt prærogativa atque benignitas; ut etiam permagna quantitate in ventrem ingeſtæ, corpori neutiquam officere ſolent, ſicut alia purgantia; ſed ſeſe in omnia abdominis viſcera innoxiâ tenuitate penetrantes, quicquid ibi offendunt, mox abſtergendo, abluendóque, ſecum per alvum & urinam exportant. Quod pulveris cujuſlibet è Marte ac ſalibus

[Z] Parantur quidem hujusmodi Thermæ Artificiales, si Ta
Tartari benè calcinatum, cum Sulphure ritè misceatur, & post
modum affusâ aquâ Balneum conficiatur; arte tamen subtilio
opus erit, ad Balnea Thermas Sulphureas æquantia, nedum
superantia paranda, confitente ipsomet Fr. Sylvio, prax
Medic. lib. 2. cap. 23. ubi de Convulsione agit.

bus confecti pauxillum, aliquo liquore dilutum, nunquam præstabit. Quippe quæ, precor, imaginari potest proportio inter paucula pulveris salini granula, ingentémque venularum Lactearum multitudinem? ut illa in omnes distribui, hærentésque hinc indè humores vitiosos secum educere possint. *Deinde* in componendis aquis Mineralibus ea est Naturæ solertia, quam nulla ars imitando assequi hactenus potuit. Adhæc aciduli fontes vires suas frequentiùs à Mineralium *spirituosis*, ac *volatilibus* effluviis, quàm ab aliquo sale fixo mutuantur: quemadmodum validissimis, fidémque cogentibus argumentis probatum invenias apud Doctiss. *Bernhard. Varenium, Geograph. general. lib.* 1. *cap.* 17. *proposit.* 3, 4, & 5. His equidem rationibus facilè inducor ut credam, acidulas istas Artificiales, de quibus tam magnifica prædicant Alchymistæ, nullo in numero habēdas esse, si cum eis comparentur, quas liberalis, idémque solertissimus naturæ genius in subterraneis Hydrophylaciis atque meatibus, inimitabili artificio præparaverit. [Z]

Pari, & nonnunquam meliori passu incedunt *Lactícinia*; lac nempe *Caprinum* (maximè si capra alatur Antiscorbuticis) *Asininum* & *Vaccinum* (aqua Taraxaci de- *Art.* 7.

deſtillata dilutum) quibus ab ubere adhuc tepidis inſtillatæ ſunt ſpiritus *Cochleariæ*, vel *Salis Ammoniaci* guttulæ aliquot; & (illis abſentibus) *Serum* lactis bubalini, temperatioribus Antiſcorbuticis imprægnatum. Item aquæ *Limacum*, & *Lumbricorum* magiſtrales; juſcula *Limacum*, vel *Aſtacorum fluviatilium*, cum Taraxaco cocta, & id genus alia alimenta medicamentoſa, quæ chymum dulciorem & pinguiuſculum ſuppeditando, miaſmatis Scorbutici acrimoniam ex Acido ſubnatam ſenſim enervent.

Art. 8. Ultimum curationis momentum ſervant *Corroborantia* Medicorum vulgo dicta; quæ nempe acidam illam, ſubauſterámve corruptelam, ſanguini, & ſucco Nutritio adhuc inhærentem, penitùs obliterare, partéſque ſimul ſolidas, ſi quæ nativa exutæ ſint conſtitutione, in priorem εὐτονίας & εὐκρασίας ſtatum reſtituere, apta nata ſunt. Hîc itaque in uſum admitti poſtulant, quæ paſſim apud *Practicos*, ad abſolvendam *Melancholiæ Hypochondriacæ* curationem extant præſcripta. In his, vulgaria ſunt *Confectiones Alchermes*, & *de Hyacintho*, cum *Electuario è Saſſafras*: nobiliora verò, *ſalia volatilia*, dictas vires poſſidentia; inter quæ primatus *Ammoniaco*,

aco, ejúſque *Spiritui* jure aſcribitur ab Expertiſſimis. Poſſemus & alia adhuc paris energiæ *Antimelancholica* hinc indè colligere, in eorum, qui è graviſſimo iſthoc Scorbuto jam inceperint ope Medicinæ recreari, ulterius emolumentum. Sed neque id conſilii nobis eſt, quicquid in ſubſidium creſcit huic malo, indiſcriminatim coacervare; & ſatis eſt, ex ampliſſima iſta præſidiorum ſylva, paucula quidem, ſed quibus tutò liceat confidere, facto generoſiorum delectu, excerpſiſſe. Adhæc, non vacat in littore cochleas & bulbos colligere, dum nondum ſubducto in portum navigio, nauclerus in altum revocat; admonens, ad finem navigationis deſtinatæ jam prope perventis, intempeſtivè ceſſare remigia.

Igitur huic tam prolixo capiti ut colophonem addam, accipe quod mihi obſervatu digniſſimum videtur; & hoc quoque ex alienis hortulis deſumptum. In hujus curatione Scorbuti, *naturæ remiſſio interdum concedenda eſt, & ab omni medicamentorum genere aliquandiu abſtinendum.* Ita enim comparati ſumus omnes, ut à prælonga medicaminum ſerie, tanquam à graviſſima ſervitute abhorreamus. Et ex Melancholia languentibus haud exiguo ſola- *Art.* 9.

tio eſſe ſolet, à valetudinis cura ſubinde feriari. Obſervatum eſt præterea, multos ſic ægrotantes, tempore curationis nihil commodi percepiſſe; dimiſsâ verò curatione, ſe præter ſpem reſtitutos perſenſiſſe. Sunt denique ex Melancholicorum grege, quibus ad ſanitatem nihil deeſt, niſi quòd ſe ſanos non credunt. Unde illud prudentiſſimi *Celſi*; *ſemper qui volunt curari, nunquam curantur.*

CAP.

CAP. XIV.

Qua Methodo, quibúſque potiſſimùm Remediis graviora Scorbuti Symptomata *poſſint, quoties urgent, relevari.*

SUMMARIUM.

ARTIC. (1) *Unde uſu venit nonnunquam, ut Scorbuticis auxiliaturus Medicus, dilatâ in præſens morbi ipſius eradicatione, maximè urgentibus illius* Symptomatis *operam dare cogatur quamprimùm* compeſcendis. (2) *Bina* præcepta generalia, *in Symptomatum curatione Scorbuticorum obſervanda.* (3) Reſpiratio difficilis, *Scorbuti comes & filia, unde proximè oriatur:* & (4) *quibus remediorum generibus ei commodiſſimè obviàm eatur.* (5) Hæmorrhagiæ Scorbuticæ ἀιτιολογία, (6) *curatio.* (7) Diarrhææ *Scorbuto ſupervenientis cauſæ diverſæ:* (8) *eámque curandi ratio pariter varia.* (9) Tormina Ventris *Scorbutum excipientia, unde deducenda;* (10) *quibúſque præſidiis,*

pro cauſarum varietate variis, oppugnanda ſint. (11) Dolores Scorbutici, *alias aliáſque corporis partes, pro determinato in has vel illas humoris peccantis influxu, diverſimodè multantes: quomodo mitigandi ſint, atque tollendi.* (12) Paralyſeôs *Scorbuticæ ortus, dignotio, medicina.* (13) *Cum Scorbuto conjuncti* Hydropis *cauſa proxima.* (14) *Ejuſdem cauſæ remotæ,* (15) *diſcrimen &* (16) *remedia.* (17) *De* Atrophiæ *Scorbuticæ cauſa duplici, diagnoſticis, curatione.*

Art. 1. SIcut Navarchis, ita perinde & Medicis ſummæ loco prudentiæ eſt, ſinus obliquare, ubi per ſævitiam tempeſtatis non licet rectum tenere curſum. Id quod in *Scorbuticorum curatione* ſæpius contingit. Quippe in infido iſthoc, & æſtuoſo utiq; mari navigantibus, tot tantæque interdum procellæ *Symptomatum* ex improviſo ingruunt; ut amiſſo gubernaculi, velorúmque & acûs magneticæ uſu, nec curſum corrigere poſſint, nec ſiſtere navigia; ſed fluctuum impetu abrepti, incumbentibus ventis quantum licet indulgere cogantur. Hócque ut nauclero artis ſuæ honos conſtet, & vectoribus vita. Ubi igitur, increſcentibus ex inopinato *Accidentibus*, ægroti

ægroti cujuſpiam ſalus in extremum eſt deducta diſcrimen; *Medici* eſt, curam ſuam à deſtinato morbi ipſius in totum profligandi curſu prudenter deflectere, ad maturiùs compeſcendum interventium furorem ſymptomatum; ne his intempeſtivè neglectis, deficientibúſque ægrotum viribus, opportunitas inceptum opus perficiendi à fato præcidatur. Qua verò ratione conſilii, quibúſque præſidiorum generibus, ſingula graviorum ſymptomatum in ſpecie reſpicientibus, id commodiſſimè poſſit præſtari; nobis nunc ſtrictim exponendum: ut quod hujus provinciæ noſtræ reliquum eſt, pro data fide conficiamus.

præstari.

Et poteſt quidem doctrinæ hujus ſumma ſub duplici præcepto comprehendi. Alterum eſt, ut *ſua cuique ſymptomati appropriata opponantur præſidia.* Alterum, ut *omnibus iſtis ſpecificis, parti graviùs afflictæ dicatis, admiſceantur Antiſcorbutica*; talia præſertim, quæ cum appropriatis pariter conſpirent ad affectam partem ab hoſte vindicandam. Hócque perpetuæ legis habere vim voluerunt expertiſſimi. Hæc autem intelligenda ſunt de hoc vel illo ſymptomate *ſingulari*, ubi per ſe ſolum affligit. At in Syndrome *plurium*, porrò *Art.* 2.

inquirere oportebit, quis affectus omnium prior debeat auferri. Proculdubio is, qui magis urget. Quis autem magis urget? Certè, qui vel effectu sævior, vel efficiendo prior est: ille, quia præceps in periculum est; ille, quia eo, qui causa existit, non curato, nequit qui effectus est, unquam curari. Prælibatis hisce in genere, nunc progrediamur ad particularia.

Art. 3. Ex dira igitur illa symptomatum cohorte Scorbuticorum, nulli primatus potiori equidem jure attribuitur, quàm DIFFICILI RESPIRATIONI, & *pectoris angustiæ per paroxysmos invadenti.* Hic enim interceptus spirandi, vivendique motus, & frequenter adoriri, & in præsentaneum vitæ periculum conjicere solet Scorbuto affectos. Oriri plerumque arbitror, vel à subitanea jam tum grumescentis propè *sanguinis* in angustioribus Pulmonum permeaculis *stagnatione*: vel ex *irritatione convulsiva* nervorum spirandi organis inservientium. In *priori* casu, summa adest præcordiorum distentio, indéque quasi immobilitas, cum rubore facici subliviscente, caligine oculis offusâ, lipothymiâ, pulsu parvo, debili, intermisso, ac ægrorum de salute sua desperatione conjuncta. In *posteriori* autem, nec mul-

multùm à Rhythmo variat cordis arteriarúmque pulſus; & ſicca tuſſis urget, cum anxia præcordiorum conſtrictione, altíſque ſuſpiriis gravem anhelitum interpolantibus.

Animadverſo itaque hujuſmodi diſcri- *Art.* 4.
mine, ut adeò laborantibus vitalibus quamprimùm ſubveniatur, huic vel illi cauſæ opponenda ſunt, quæ aut ipſam prorſus expugnare, aut ejus orgaſmum atque furorem ſaltem ad tempus compeſcere valeant. *Sanguini* præ ſua craſſitie, in circuitu per anguſtias Pulmonum ſtagnanti (ſive id vitium ſit *ſali fixo*, ſive *Acido* in Spiritus vitales prævalenti adſcribendum) ea maximè præſidia debentur, quæ ipſum potenter *attenuando*, *incidendo*, *exagitando*, fluxilitati requiſitæ, expeditioríque in orbem motui reſtituant. Hujus ſortis ſunt 1. *Enemata* carminantia, revellendi causâ injecta: 2. *Venæ ſolutio*, mox à rejecto clyſmate adminiſtranda; maximè ubi exundantiam ſanguinis conteſtantur plethoræ phænomena. Ita enim imminuto ſanguine, ejus quod reliquum eſt & faciliùs attenuabitur, & citatiore motu permeabit anguſtias pulmonum. Nec de vena ſecanda ambigendum. Nam parum aut nihil in-

tereſt, modò ſuperfluus extrahatur ſanguis, quâ tandem viâ is educatur: 3. *Thoracica Calidiora*, paris efficaciæ *Antiſcorbuticis* aſſociata. Scilicet Tincturæ *Croci*, *Enulæ campanæ*, *Caſtorei*; Elixir *proprietatis*; Confectio *Alchermes*; flores *Salis Ammoniaci*, *Benzoini*; ſalia volatilia *Viperarum*, *ſimi Equini*; ſpiritus *Salis Ammoniaci*, *Cochleariæ*, &c. vel per ſe, vel cum convenientibus vehiculis, exiguâ quidem, ſed ſæpius iteratâ doſi, propinata. Hæc enim optimè intercalant hujus affectûs inſultum; idque ſanguinem à coagulatione abſtinendo. Nam coagulatum cruorem reſolvi à ſale volatili aquâ diluto, experientiâ compertum: neque præter ſalia volatilia quidquam aptum ad coagulationem illam prohibendam aut ſolvendam reperitur.

Cæterùm Aſthmati Scorbutico, ex *Nervorum Pneumonicorum Convulſione* oriundo (utrum iſthæc Convulſio nervis ſuboriatur ex ſalina vel acida *ſucci nervoſi* acrimonia, an *vapores* pari acredine ferientes pro cauſa ſui proxima agnoſcat) medelam ſpondent *Antiſpaſmodica*: quibus ineſſe compertum eſt facultates obtundendi, ſupprimendi, diſcutiendi irritantem illam humorum vaporúmve acrimo-

moniam. Hoc nomine celebrantur Spiritus *Salis Ammoniaci*, *Cornu Cervini*, *Fuliginis*, *Sanguinis humani*, *Cranii*, *Caſtorei*, *Lavendulæ* compoſitus, appropriatis liquoribus contemperati, & repetitis identidem hauſtulis, dum urget ſpirandi difficultas, aſſumpti. Non Caſtoreo, Galbano, Aſſæ fœtidæ; non tincturis horum in aqua Raphani compoſita, vel Lumbricorum magiſtrali extractis, par honos poteſt denegari. At in hujuſmodi Dyſpnæa ægroto ſuffocationis diſcrimen interminante, nullum præſentius eſt remedium, quàm *Laudani Opiati* paucula grana, in vino Hiſpanico generoſo diſſoluta, ádq; tincturæ extractionē infuſa; tū cochleatim ſubinde exhibita. Hujus quippe faſcino placidiſſimo, & hypnoticâ benignitate, tanquam demulcente Mercurii caduceo, *humores* qui in tumultuandi audaciam jam tum efferati ſunt, componuntur ad quietem; qui acrimoniâ Nervis infeſti, mitigantur: & *vapores* flatulenti (qui ſpiritibus immiſti *Animalibus*, non ſolùm in nervos *vitalium* vi punctoria ſæviunt nonnunquam; aſt ſæpe etiam per habitum corporis ubique diſcurrentes, admirandas partium in Muſculis diſtorſiones, motúſque convulſivos excitant) ſupprimuntur, ac per leves demùm ſudores, à ſomno erumpentes, diſcutiuntur.

II. *De* Hæmorrhagiis *in Scorbuto.*

Art. 5. Sanguis utì in Scorbuto quàm par eſt craſſior, & coagulationi pronior redditus, *Dyſpnœæ* cauſa exiſtit, ubi vel pauliſper ſtagnat in meatibus pulmonum: ita è contrario in eodem juſto fluidior factus, ingentes nonnunquam HÆMORRHAGIAS parit; nunc per *Hæmorrhoides* in viris, in mulieribus ex utero, nunc in utriſque è pulmonibus, ventriculo, gingivis aliiſve partibus cum impetu erumpens, ægróſque in præſentaneum vitæ diſcrimen adducens.

Hujus tam diri Symptomatis *Cauſam* vel inde petendam arbitror, quòd ſanguis luxuriante ſupra modum *ſero* dilutus, inteſtinóque ſimul tumultu efferatus, violenter prorumpit per arteriolarum oſcilla: vel hinc, quòd idem ſanguis *ſale volatili acri* abundans, & ab eo debitâ ſuâ exutus conſiſtentiâ, ſed & orgaſmo exagitatus, ruptis arteriolarum clauſtris, qua ſic facta eſt effluendi porta ἀιθ' ὁρμῆς exſilit. De *priori*, res adeò eſt in propatulo, ut ulteriori probatione non indigeat. Et quoad *poſterius*, *fuſoriam* ſcilicet *ſalis volatilis acris*

cris efficaciam; hæc quoque nullo ferè negotio poteſt evinci. Namque ſicut naturalis Coagulationis ſanguinis cauſa eſt ſuccus *Acidus*, ad ipſum accedens partim è *Chylo*, partim ex *Lympha*; quemadmodum ſupra, ubi de *Acidi* Scorbuti generatione egimus, haud uno experimento probatum eſt: ita per legem contrarietatis, deficientis in ſanguine Coagulationis cauſa, ſali *volatili*, & in primis acri accepta ferenda. Deinde, cuique Medicorum obſervare eſt, è Scorbuticis eos præ cæteris obnoxios eſſe Hæmorrhagiis, qui Scorbuto *rancido*, in quo certiſſimum eſt ſanguinem Sulphureis, volatilibúſque, & acribus particulis luxuriare, afficiuntur. In *Peſte* præterea, cujus venenum pariter à ſale volatili, ad ſummum acredinis gradum provecto, potiſſimùm dependere ſuſpicor, nullum frequentius occurrit ſymptoma, quàm ſpontanea ſanguinis profuſio. Ad hæc, ita præter conſuetum attenuato ſanguini optimè medentur *Acida*; nec aliâ opinor ratione, quàm quòd devicto, miſſóque ſub jugum ſale illo volatili, & ob acrimoniam infami, qui antea dominium exercebat in ſanguinem, ſuam huic conſiſtentiam reddant.

Suppoſito itaque, Scorbuticorum Hæmorrha- *Art.6.*

morrhagias ſi non ſemper, at ſaltem utplurimùm provenire à nimia ſanguinis *fluiditate*; háncque vel *ſeri* exuperantiæ, vel *ſali volatili* ſimul & *acri*, ſanguinem quaſi fundenti adſcribendam eſſe: hoc inquam ſuppoſito, ſequitur ſanguinem juſto fluidiorem non aliter poſſe ad nativam conſiſtentiam revocari, quàm horum ope remediorum, quæ aut *Seri* in illo redundantis diluvium exhauriant, aut infringant expugnéntque *acrimoniam* eidem à ſale volatili impreſſam. Quare

Hæmorrhagia *Seroſi* ſanguinis optimè curabitur 1. *Minuendo ſerum* per *Hydragoga* plùs unâ vice exhibita: 2. *Incraſſando ſanguinem* Plantagine, Portulacâ, Sempervivo majore, Bellide minori, floribus Roſarum rubrarum, Balauſtiorum; ſeminibus Acetoſæ, Plantaginis; Cydoneis, Meſpillis, aliiſque auſteris prudenter parcáque manu adminiſtratis: item pulveribus Diarrhod. Abbatis, Corallii rubri, Croci Martis, Santali, &c. nunc unâ, nunc aliâ formâ exhibitis: & 3. *eundem*, ſi æſtu ſimul exagitatur, *contemperando*. Cui ſcopo *Lapis Prunellæ*, in *Hordei*, *Plantaginis* & *Beccabungæ* decocto diſſolutus, eſt convenientiſſimus. Hoc autem non ſufficiente, ſenſim progrediendum ad potentiora,

tiora, *Nepenthes* nempe *Opiatum*, aliáque *Hypnotica*. Item 4. *Coarctando vias laxiores* & patentiores, modò dictis incraſſantibus, addendo potentiùs *adſtringentia*, qualia ſunt ſal Chalybis albiſſimus, aliáque Chalybeata, quæ Vitriolum unà cum Ferro ſapiant.

Profluvio ſanguinis à *ſale volatili acri* oriundo, convenientiſſimè medentur 1. *Venæ ſectio*; qua ſanguini & tranquillitas, & averſus à parte affecta motus conciliabitur. Hæcque in omni Hæmorrhagia enormi, ubi periculum imminet vitæ, locum habere debet; nec unà tamen vice, ſed bis térve adminiſtranda eſt, pro neceſſitatis ac virium ratione. 2. Quæ *ſal volatile lixivioſum* ſeu obtundendo, ſeu figendo, acrimoniam ſanguinis contemperent, eíque conſiſtentiam reſtituant: ídque ſui vel olei, vel acidi, vel ſpiritûs volatilis oleoſi ratione. Huc itaque ſpectant *Emulſa oleoſa* Amygdalarum dulcium, ſeminum quatuor frigidorum majorum, Papaveris albi, &c. In acidorum, & præſertim auſteriuſculorum decoctis. Item terræ pingues, *Bolus Armena*, *Terra ſigillata Lemnia*, *Sileſiaca*, &c. Huc etiam referenda ſunt *olea* ex *cornibus*, *oſſibus*, *ungulis* animalium extracta; ſed præ omnibus

Lau-

Laudanum Opiatum, & *ſulphur minerale* arte *fixatum:* hoc enim ſummam habent vim ſales volatiles vel acerrimos figendi: 3. *quæ vaſorum ora nimis laxa*, & adhuc dehiſcentia conſtringendo coarctant. In quibus ſummam laudem merentur *Acidulæ* ferro ſimul & vitriolo imprægnatæ.

Cùm autem in hoc ſymptomate multiplex ſæpè occurrat indicatio, ac præceps vitæ periculum immineat; prudentis idcirco Medici eſt, talia in uſum præſentaneum ſeligere, quæ minùs compoſita pluribus ſcopis ſatisfaciant: videndúmque præterea quibus medicamentis experientiſſimi ad coercendam quamcunque ſanguinis effluxionem felicitur uſi fuerint.

III. *De* Fluxibus *alvi* Scorbuticis.

Art.7. Proximo Hæmorrhagiæ loco ponimus DIARRHOEAM, æquè familiarem utique, nec minùs immanem Scorbuti comitem: tum quòd ut *illa* plerumque ex nimia ſeroſitate, aut acrimonia lixiviali ſanguinis; ita & *hæc* à ſimilibus aliorum humorum vitiis ſuboriatur: tum quia utrique affectui eadem ferè præſidia comperiuntur prodeſſe. *Fluxus alvi* igitur, Scor-

Scorbuto, maximè jam inveteraſcenti ſuperveniens, affectus acer, ferox & in primis acutus eſſe ſolet; in quo ſtomachus & inteſtina mirè torquentur, & flatuum copiâ diſtenduntur; ſitis cum nauſea excruciat; pulſus celer, frequens ac ferè parvus; his & nonnunquam ſuccedit animi defectio, viriúmque proſtratio ſemper conjungitur.

Fit autem in genere quoties vitioſi humores, ſeu ante in prima corporis regione ſenſim congeſti, ſeu eò ex arteriis aut nervis Meſentericis, nunc criticè quidē, aſt ſæpiùs ſymptomaticè effuſi, uſque eò angunt inteſtina, ut ipſos ſeſe fortiter conſtringendo cogantur foras ejicere per inferiora. At *varii* in variis, quin & in iiſdem nonnunquam hominibus, iſti humores exiſtunt. Quippe 1. in his *Chyli* plus minus unà cum fæcibus alvinis excernitur: idque utplurimùm ex impedita Chyli per ſpongioſam inteſtinorum cruſtam in Lacteas tranſcolatione. 2. In illis confertim ejicitur *ſeroſa illuvies*, quæ frequentiùs debetur ſucco Pancreatico ſeroſo, è plexu Nervorum in abdomine maximo illuc tranſmiſſo; interdum ſeroſo ſanguinis retrimento, quod halitûs forma per ambitum corporis debuit diſſipari, ſed condenſante

ſante porulos frigore, repellitur in ſanguinem, indéque in inteſtina tranſmittitur; rariùs Catarrhis de cerebro in ventriculum, ac inteſtina delapſis. 3. Aliis erumpit *bilis flava* aut citrina ardens, ac plerumque ſpumans: hæcque aut è cyſti fellis ſupra modum repleta profunditur, aut ex arteriis Meſenterii, in quod ſupervacuum omnem humorem oppreſſa natura ſolet recondere. 4. Nonnullos *Hippocratis* ὑποχώρησα μέλαν, ſeu *nigra dejectio* impetit; vel exinde quòd *bilis flava* proprio folliculo diutiùs coercita, virore tandémque nigrore per aduſtionem contracto, turgeſcens irrumpit in Duodenum: vel hinc quòd ex *acido* paſſim in humores ſæviente, hóſque vitriolicâ tincturâ imbuente, dejectiones uſque adeò atræ apparent, ut cum diluta pice, aut Caſſiæ medulla conferri poſſint; túmque excretorum effluvia vel è longinquo nares acidiſſimè feriunt. Hæc verò cæteris multo eſt inſolentior; nimirum quæ non ita multo poſt ægrotanti eſt perniciem allatura. 5. Sunt quoque quos in Scorbuto fluxus alvi *cruentus* exhaurit; qui ſemper adſcribendus eſt vaſi alicui venoſo vel arterioſo in tenui craſſóve inteſtino, rariùs in ventriculo, vel parte alia vicina præter naturam eroſo, rupto, aut alio quovis modo

do aperto, & in inteſtina ſanguinem effundenti. 6. Sunt denique qui de profluvio ventris conquerantur, in quo dejectiones *unguinoſæ*, & quaſi adipe vel oleo perfuſæ cernuntur : idque quòd recens concreta pinguedinis carniſve aut etiam (diu protrahente vitio) ſolidarum partium ſubſtantia liqueſcat defluátque in alvum, quod in *Atrophia Scorbutica* potiſſimum contingere obſervatum.

In tanta igitur Humorum fluxus perpetrantium varietate, pariter varianda eſt curandi ratio, ut ſua cuique præſidia prudenter poſſint accommodari. Scilicet, *Art.* 8.

1. Ubi quod infernè procedit, Chyli ſubſtantiam refert; quandoquidem vitiū ab impedita Chyli diſtributione per Lacteas dependet : Medici eſt eò dirigere curarum ſummam, ut leviter deterſo inteſtinorum muco, Lactearúmque reſeratis oſcillis, liberior Chylo aperiatur ingreſſus. Id quod commodiſſimè fiet per *Eccoprotica*, Rhabarbarum nempe, pilulas *ſtomach. cum Gummi*, *Maſtichinas*, &c. Et per *Ecphractica*, & præſertim *Chalybeata*, cum ſpiritibus *Antiſcorbuticis* conjuncta.

2. Ex Diarrhæa *Seroſa* languentibus auxi-

auxilium ſpondent primò *Hydragoga* mitiora, ſeri reliquias per alvum clementer educentia; ut Mechoacanna, Zalapium, Mercurius dulcis, Rhabarbarum, cum Cinnamomi & nucis Moſchatæ pauxillo commiſta: deinde *Diuretica*, & *Sudorifera*, quæ cùm ſanguinem, tum ſuccum nutritium ſero ſcatentem quà per urinam, quà per ſudores repurgent; in quibus laudabiliora cenſemus decocta ex radicibus Chinæ, Salſæparillæ, Petaſitidis, Contrayervæ, &c. Lignis Guajaci, Saſſafras, Juniperi, Quercûs, Buxi, &c. parata: & denique quæ aut humiditatem aqueam, ſi qua in viſceribus adhuc remanſerit, *imbibant*; aut inteſtina frequenti dejectione debilitata *corroborent*. *Prioris* familiæ ſunt Creta, Oculi Cancrorum, Cornu Cervinum, oſſa animalium uſta, ac per ſe in pulverem redacta, parváque quantitate ſubinde uſurpata. Ad *poſteriorem* ſpectant Diaſcordium, Theriaca, Confectio de Hyacintho, Elect. è Saſſafras, Vinum Abſinthites, & ſimilia. Quoties autem in hujuſmodi ſeroſa Diarrhæa undecunque prodiens *ſalſum* & *mordax* exiſtit ſerum: toties id corrigendum Anodynis & Opiatis; *Laudano* nimirum *opiato*, Pilulis de *Cynogloſſa*, de *Styrace*, & id genus aliis. Pluribus verò indicationibus ſatisfaciet

faciet *Rhabarbarum* modicè toſtum, & ad drachmam circiter unam, cum pari quantitate Diaſcordii, & Laudani opiati Londinenſis granulo uno atque altero, ſub ſomnum exhibitum: hócque quia non tantùm benignè exhaurit aquas hîc redundantes; ſed blanda etiam ſua auſteritate laxiorem alvum mox adſtringit. Ab aliis autem *Adſtringentibus* abſtinendum; ne intempeſtivè detenta, & aliorſum verſa colluvies ſeroſa, ægros in dyſpnœam aut Hydropem conjiciat.

3. *Bilioſæ* Diarrhœæ furorem artificioſè compeſces, *Evacuando* jam ſponte fluxuram bilem, undecunque ad inteſtina deductam; *obtundendo* & *contemperando* ejuſdem adhuc in meſenterii confiniis remanentis acrimoniam ſalinam, miaſmate Scorbutico hîc exaſperatam; & ventriculum cum inteſtinis *corroborando*. *Primùm* præſtabunt *Cholagoga* benigniora, Rhabarbarum, *viz.* Manna Calabrinum, Tamarindi, ſyrupus Roſarum, &c. *Secundùm* effeceris per liberalem uſum ſeri lactis à coagulo etiamnum tepidi, Emulſionum oleoſarum & infrigidantium, Tincturæ Roſarum; item pulverum Teſtaceorum, Diaſcordii, confectionis de Hyacintho, Laudani opiati, & ſimilium, quibus ineſt

facultas Bilioſos humores quà fluiditate nimia, quà ſalina acredine jam tum tumultuantes, atque continentia laceſſentes, contemperandi ſimul & figendi. His verò conſultiſſimè adjungas, ſi malum diutius perſeveraverit, & Acidulas ferratas. *Ultimo* ſcopo ſatisfacient eadem quæ modò præſcripſimus in fine curationis profluvii ſeroſi uſurpanda. Cæteris autem omnibus merito ſuo præfertur Crocus Martis, ritè præparatus, & cum Conſerva Roſarum rubrarum aut Cynorrhod. & ſpeciebus Diarrhod. Abbatis, ac ſyrupo Chalybeato in forma Electuarii exhibitus.

4. In profluvio alvi *Melancholico*, utrum id ex præaſſàta bile, an ab Acido vitriolico, quæ dejiciuntur piceo quaſi colore inumbrante, provenerit; ut & in *Cruento* ex vaſculorũ in inteſtinis eroſione, eadem ferè methodus curandi, eadémque remedia, quæ ad conſopiendam citrinæ bilis acrimoniam modò allata ſunt, apprimè convenient. Etenim iſthæc crebro uſu atræ perinde ac flavæ bilis ſymptomata lenient. In his autem palmam merentur ſerum lactis, pulveres Teſtacei, Emulſiones, ſpiritus Volatiles oleoſi, & lac Chalybeatum. Porrò ubi *Dyſenteria* aut *Teneſ-*

Teneſmus inſoleſcit, inſuper addenda venient *Enemata* primò *Anodyna*, & deinde ex *Traumaticis* in lacte decoctis parata, & confeſtim à coctione (ne putreſcendo rancidam acquirant acrimoniam) ac ſæpiùs, haud magna tamen quantitate, (ne jam exulcerata inteſtina ultra modum diſtendantur) infuſa, atque diutiùs retenta. Quippe Clyſteres omnes, mitigandi doloris ergò injecti, longiori tempore debent detineri: & omnium longiſſimè, quibus glutinandi & conſolidandi facultas ineſt. His verò parum aut nihil proficientibus, tandem ad diutinum *Acidularum* uſum, veluti ad anchoram ſacram confugiendum.

5. Poſtremò, in fluxu alvi *Unguinoſo*, qui Atrophiæ nonnunquam Scorbuticæ ſi non effectus, at ſaltem comes exiſtit; eis opus eſt auxiliis, quæ vel Hecticum calorem, ex nimio *Sanguinis* ardore partibus etiam ſolidis infixum, ſenſimque earum ſubſtantiam συῤῥύξει ſeu colliquatione deprædantem, quà *infrigidando*, quà *humectando*, ac nonnihil ſimul *adſtringendo* extinguant: vel pariter Sarcophagam *ſuci nutritii* acrimoniam acido-ſalinam potenter corrigendo, ipſum reddant benigniorem, & reſarciendis partibus magis accommodum. Igitur, ubi Febris quó-

que ſuborta eſt, ægroti ſunt *Hecticorum* more tractandi; advocatis ſimul in ſubſidium *Antiſcorbuticis* temperatioribus. His autem qui ab omni febris ſuſpicione liberi ſunt, præcipiendum eſt, iis utantur medicamentis, quæ adverſus *Atrophiam* inveterato ſupervenientem Scorbuto infrà præſcribimus.

IV. *De* Torminibus Ventris, *paſſionem* Colicam *ſimulantibus.*

Art. 9. Quemadmodum in Scorbuto, ex humoribus vitioſis undecunque in cavitatem inteſtinorum affatim effuſis, quæ jam deſcripſimus alvi profluvia ortum ducunt: ita & ab iiſdem ſeu in interiores abdominis membranas, ſeu inter ipſas inteſtinorum tunicas irruentibus, illic hærentibus, partéſque iſtas tam exquiſito ſenſu præditas acrimoniâ ſuâ vellicantibus, velutíque dilacerantibus, graviſſima excitantur *ventris tormina.* Quæ dolores Colicos nunc quidem æmulantur, nunc autem atrocitate uſque eò ſuperant, ut fuerint, qui hinc in Peritonæi rupturam inciderint.

Ampliorem horum ἀλγημάτων περὶ ὀμφαλὸν deſcriptionem ſi quis expetit, is voti compos fiet adeundo *Helkrium* (*de morb. intern.*

tern. lib. 1. *cap. de dolore colico*) *Joh. Langium* (*lib.* 2. *Epiſt.* 38.) *Cratonem* (*conſil.* 10. *&* 11. *item Epiſt.* 3. *&* 4.) & *Citeſium* (*de dolore colico Pictonico, cap.* 6.) Hi enim expreſſam hujus tam diri ſymptomatis imaginem, apud Antiquiores nuſquam inveniendã, ex propriis obſervationibus depinxêre; adeò ut cuivis attentè legenti facile ſit illud à colica vulgari diſtinguere per hujuſmodi diagnoſtica. Dolor Ventris, Scorbuti comes, non continuò, ſed per intervalla infeſtat; cum pulſu & urina quales Scorbuto affectis familiares eſſe jam dictum eſt 2. Durat interdum ad quadrageſimum uſq; diem: 3. Non coli ductu circumſcribitur, ſed univerſum ferè abdomen pervagando occupat; 4. & quidem cum ventris depreſſione, ut cum umbilico introrſum revellatur, & hic lumbis quaſi annexus videatur: 5. Potius ſecundum inteſtini longitudinem, quàm latitudinem percipitur; 6. cum inteſtini recti ſurſum revulſione, ut nihil prodeat; 7. & cum gravioribus ſymptomatis, quam quæ Colico vulgari ſupervenire ſolent: 8. Nec ſolutâ etiam alvo, & exeuntibus flatibus miteſcit: 9. Haud raro tranſit in Paralyſin.

De *ortu* & *cauſis* horum dolorum, varii

varia comminiſcuntur. *Alii* deducunt ab effuſione materiæ Scorbuticæ per venas *Meſaraicas*, quæ in inteſtina non hiant, inter duas inteſtinorum tunicas; quas indè diſtendi volunt, & vellicari, uſque ad acerbiſſimi doloris illationem. Cæterùm huic conjecturæ planè refragatur ſanguinis in orbem perpetuò moti doctrina: unde conſtat venarum Meſentericarum uſum eſſe, ſanguinem ex inteſtinis in ramum Meſentericum, indéque in venam portæ deferre.

Aliis viſum eſt, ad hoſtilem *ſalium* quorundam, in Meſenterii plexibus nervoſis, & nonnunquam etiam inter inteſtinorum tunicas congredientium, luctam & effervescentiam confugere. Ut clariùs eloquar. Supponunt, ſucci nervoſi recrementa quædam *acetoſa* ſtagmatis vitriolici æmula, circa dictos Meſenterii plexus, aliáſve in vicinia partes nerveas, copioſè congeſta; quibus mox à ſanguine arterioſo efferveſcente, ſeroſa colluvies, *ſalis fixi*, & velut *lixiviosa*, particulis abundè referta advenit, cúmque iis, ob mutuam hoſtilitatem, turgeſcens; dolores quaſi lancinantes producit. Sicut obſervamus Spiritum Vitrioli, ſali cuivis volatili, non tamen oleoſo, affuſum, efferveſcentiam notabilem excitare.

Willisium hic convellit, qui & in colica Scorbutica, & Arthritide istiusmodi luctam & effervescentiam contis finxit.

tare. At verò hujuſmodi colluctatio & efferveſcentia ſales inter acidos & lixiviales, ut ut magna, non niſi momentanea tamen eſſe ſolet, perrarò ultra horulæ ſemi-quadrantem durans: his autem doloribus ſolenne eſt, ad plures uſque dies ſine intermiſſione excruciare. Quamobrem licèt minimè negaverim, hîc ſuppoſitam ex Acido & ſalſo confuſis efferveſcentiam, nonnullis Scorbuto affectis eſſe familiarem: vix tamen credibile videtur, eam ad tam diuturnos cruciatus ſufficere; niſi ſimul ſupponatur, novum ſingulis ferè momentis affluere ſalium ſupplementum, unde certamen identidem renovetur. Talem verò novæ materiæ affluxum, anguſtiæ locorum affectorum vix admittent, citra ingentis tumoris, inde excreturi diſcrimen. Adhæc quid opus eſt, ut plures, & diſſidentium ratione ſalium, quibus aculeati ſunt, inter ſe repugnantes humores, *Acidum ſcilicet*, & *ſalſum*, hîc ſimul in ſcenam adducamus; poſtquam manifeſtò deprehenſum eſt, alterutrum ex iis, dummodo fuerit inſignis acrimoniæ particeps, per ſe & poſſe & ſolere acutiſſimos ac diu durantes in dictis locis dolores excitare? Fieri pſeudocolicam à *bilis* acrimonia ſalina; fieri ab aciditate *Melancholiæ*; & interdum etiam ab aſperitate fixi

ſalis in *ſero* contenti, quis neſcit? Nos igitur ad ſimilitudinem veritatis propiùs accedere arbitramur, quod modo innuimus, Colicam iſthanc Scorbuticam, in qua nunc verſamur, vel *Bilioſo* humori, acrimoniâ ſalinâ peccanti, eóque rodenti; vel laceranti & propemodum corroſivæ *Melancholiæ* aciditati, ſeu in tunicas inteſtinorum, ſeu in plexus nervorum Meſentericos ſævienti, utplurimum deberi. Eſt tamen & tempus, ubi *ſerum lixiviale* ſuas quoque in hac tragœdia partes, ſeu diſtendendo, ſeu convellendo agit. Eſt quoque, quando hi humores non ſolitariè, ſed *conjunctim*, per Syndromen, factâque quaſi conſpiratione, affligunt: id quod tormentorum differentias obſervanti perfacilè innoteſcat. Prout enim cauſæ jam memoratæ puriores ac ſolitariæ magìs exiſtunt; aut cum aliis diverſimodè conjunctæ, ac plus minus ab illis contemperatæ occurrunt: ita aliquam in doloribus quos excitant, pariunt diverſitatem, verbis quidem vix ſatis explicabilem.

Art. 10. Ex dictis itaque liquidò apparet, non unam aut ſimplicem doloribus hiſce *curandis* ſemper convenire rationem. Namque licet ipſi dolores in genere curentur *remotione Cauſæ*, & *mitigatione* per anodyna:

na: cum tamen inſignis adſit dolorum, cauſarum, removentium, mitigantium diverſitas; æquum eſt profectò, ut ſua cuique doloris differentiæ, & cuique cauſæ antidota opponantur. De *ſingulis* ergo ſingulatim, ſed Laconicè dicendum eſt.

1. Tormina ventris Scorbutica, ubi ab humorum ſulphureorum ſeu *bilioſorum* acrimonia fiunt, proindéque cum haud obſcuro *ardoris* ſenſu in locis affectis conjunguntur; optimè curantur 1. Bilem pinguiorem *contemperando* per *Acida*, & in primis per ſpiritum *Nitri*, addendo ſimul Emulſiones *ſuboleoſas*, ac præſertim *Opiata*. 2. Clementer *ſubducendo* per alvum, exhibitis per intervalla tum Enematibus *laxantibus* ſimul & *anodynis*, tum *Cholagogis* mitioribus, ut pulpa Tamarindorum, Roſarum pallidarum infuſione, Elect. è ſucco Roſarum, Cholagogo Sylvii, &c. in ſero lactis. His addenda ſunt *Fotus*, *Cataplaſmata*, *Linimenta*, ex *Emollientibus*, *Laxantibus*, *Antiſcorbuticis* temperatioribus compoſita: ut æſtuantis bilis acrimonia temperetur, miaſmatis Scorbutici malignitas dometur, ac pori membranarum aperiantur. Porrò ut utrique indicationi ſimul & ſemel ſatisfiat, *Cholagogis* & *Opiatis* unà agendum eſt. Sic enim inducto ſom-

ſomno, & dolor conſopietur, & materia peccans evacuabitur.

2. Doloribus verò *Lacerantibus*, partémque affectam ſine ardore *rodentibus*, utpote ab *acida* Melancholiæ *acimonia* oriundis; apprimè medicaberis *corrigendo* atrocem illum, & Phalaride immaniorem humoris peccantis acorem. Hîc itaque in uſum revocanda ſunt pulveres *Teſtacei*, *Serum lactis*, *lac Aſininum*, *Antimonium Diaphoreticum*, *Spiritus Vini aromaticus* (utpote ſale *volatili* & *oleoſo* præditus) aquæ *Theriacales* & *Antiſcorbuticæ*, *Tinctura Caſtorei*, *Opiata*, Spiritus *Cornu Cervini*, ſalis *Ammoniaci* (quem corticibus Aurantiorum inſtillatum, cúmque ſpiritu baccarum Juniperi, vel ſeminum Aniſi mixtum, atque ſæpiùs in die exhibitum, præ cæteris omnibus laudant *Sylviani*) & id genus alia *Antacida*. His autem interponenda interdum *Enemata*, ex *Emollientibus*, *Carminantibus*, *Antiſcorbuticis* in ſero lactis decoctis, conflata. *Externè* conveniet *Cataplaſma* ex flor. Chamæmeli, Sambuci; fol. Naſturtii vel Beccabungæ; baccis Juniperi, contuſis, & ſero lactis ad mollitiem (optimè clauſis interim vaſis) incoctis confectum, calidéque ventri impoſitum. Hæc omnia plus præſtabunt, ſi *ſudores* ſimul erumpant.

pant. Ad eos igitur propellendos, proficuum fuerit, ſi æger, priùs aſſumpto ſpiritu aliquo Antiſcorbutico, non acido, in decocto radic. & ſeminum *Bardanæ*; impoſitóque Cataplaſmate, ſe in lecto, ad ſudores blandè provocandos, componat. Præter hujuſmodi per *Hidroſin* evacuantia, alia omnia exulent. Nondum enim mitigatâ humoris melancholici atrocitate, ſi *Cathartica* admiſeris; irritas crabrones, & ſeveriores concitandi paroxyſmos diſcrimen incurris.

3. Eadem porrò methodus medendi, eadémque remedia conferunt quoque in Pſeudocolica Scorbutica, ex *Sero Lixiviali*, ſeu copiâ ſuâ diſtendente, ſeu per ſalſedinem corrodente, oriunda: cum eo tamen diſcrimine, quòd hîc locus etiam Hydragogis mitioribus ſit concedendus; quæ frequentiùs vel infrequentiùs debent exhiberi, pro majori minoríve ſeroſitatum redundantia.

Hoc, *Lector erudite*, ſi novum tibi & admiratione dignum videtur; niſi quid utilioris te contemplationis detinet, audi & aliud, quod animum tuum majori adhuc ſtupore forſan afficiet. Tanta eſt Naturæ erga nos miſellos benignitas, ut non nulla

nulla protulerit, quæ in omni Colicorum genere dolorum, ſummo cum ægrorum emolumento poſſint exhiberi. Horum è cenſu ſunt primùm *Hypnotica* & *Acopa*; utpote quæ non tantùm ſenſui ſtuporem & indolentiam inducant, ſed etiam humorum peccantium tenuitatem cogant & incraſſent, acrimoniam qualemcunque infringant, vehementémque orgaſmum reprimant. Parciùs tamen iſta: nec niſi τοῖς ἱεροῖσι τὰ ἱερά. Deinde lac *Aſininum*, aut *Caprillum*, & utriuſque ſuccedaneum, *Serum* lactis vaccini: illud recens ab ubere mulctum; iſtud adhuc à coagulo tepidum; utrumque in plures dies præſcriptum. His enim mitigata poſt tormina, primarúmque viarum purgationem propinatis; non alvina tantùm regio, ſed totum etiam corpus perfectum neoteriſmum conſequetur. Sed omnium inſtar ſunt αὐτοφυῆ illa λουτρὰ, *Acidulæ* purgantes, *Borbonenſes* in primis in Gallia (de quibus teſtatur *Citeſius*, uſu earum ferè omnes ſuos Pictavenſes, ex Colico Epidemico paralyticos, fuiſſe ad integram ſanitatem perductos) & in Britannia noſtra, *Barnettenſes* & *Ebſhamienſes*. Harum ſanè & virtus clara, & ratio medendi admirabilis eſt.

V. *De*

V. *De* aliis Doloribus Scorbuticis.

Sed latiùs adhuc alas explicare ſolet atrox hic Vultur, non viſcera ſolùm, Tityani ex more, quotidiè dilacerans; ſed & cæteras partes, pro vario ſui influxu, excrucians. Quippe nunc *Cerebri*, *artuum*, *lumborum*, *oſſium* membranas diro cruciatu affligit: nunc *articulorum* ligamenta & tendines, ſub *Arthritidis* larva rodendo exurit: nunc nervulos *Lumbares*, interdum & *renes*, ſimulata *Nephritide*, torquet: varios ubique dolores inferens, pro partium quaſcunque inſederit, diverſitate. De his autem non eſt quòd ſigillatim dicamus; quandoquidem ex iis, quæ de doloribus *Pſeudocolicis* modò dicta ſunt, cuivis ad ſacra *Hygeæ* facienda ſolenniter admiſſo facilè ſit colligere; eos exoriri omnes ab acrimonia vel *ſalina*, vel *acida* Succi Nervoſi; omnéſque pariter compeſcendos eſſe quà *ſubductione*, quà *correctione* illius ita peccantis materiæ. Quibus verò *remediorum* generibus utrumque ſit præſtandũ, iterum iterúmque monſtravimus. Satis itaque eſto, de *curatione* horum dolorum inſti- *Art.* 11.

tuenda

tuenda strictim admonere, in iis semper annitendum, ut succi præcipuè Nutritii dyscrasia contemperetur; ut acidorum, acrium, salsorum, aliorúmque effervescentia, & orgasmus compescatur; ut copia omnium leniter minuatur, & cloaca quasi corporis sensim eluatur; ut denique affectis injuriâ partibus suus cuique tonus restituatur. Nobis enim nec vacat, nec volupe est, in hunc inamænum, totiésque ab aliis tritum longiùs exspatiari campum: & speciminis locum occupent prædicta.

VI. *De* Paralysi *Scorbutica*:

Art. 12. Est etiam tempus, ubi modò dictos Ventris, lumborum, Capitísque præsertim dolores PARALYSIS quædam excipit; à *Paralysi Veterum* signis suis diacriticis, supra *cap.* 2. *art.* 8. descriptis, facilè distinguenda: indubiéq; ex eo deducenda, quòd tartareæ Succi Nervosi impuritates, οἷον κριπκῆς τινὸς ἐκ τοῦ βάθους μεταστάσεως γινομένης, in spinam dorsi, nervorúmque origines effusæ, cæcos illos, per quos Spir. animalibus patere solet aditus, meatus obstruendo præcluserint. Nec est, quòd multùm ambigamus de *Via*, per quam istiusmodi materia, Paralysin mox paritura, ex intestino-

ſtinorum ac Meſenterii membranis tranſmiſſa ad medullam ſpinalem, nervos indè productos invadere, híſque non ἀναισθησίαν quidem, ſed ἀκινησίαν inferre poſſit. Nam à nervis illis, qui à Plexu abdominis maximo in Meſenterium juxta atque in inteſtina diſſeminantur; quíque cum Lumbaribus per mutuam quaſi inoſculationem ubique ferè commercium exercent: via utique & expedita patet, & compendioſa ex utrísque in ſpinam dorſi. Et quàm ſit in proclivi, ut humor aliquis hinc indè transferatur, remeétque, per funiculos Nervorum inter ſe κατὰ τὸ συνεχὲς communicantium; res ipſa loquitur, ut in multis aliis morbis, ita & apertiſſimè in *ſtrumis* & *Scrophulis*, quæ ſedes ſæpe mutant, ex materiæ unde ſubnaſcuntur metaſtaſi. Quæ ſive criticè, ſive ſymptomaticè fiat, minimè dubitandum quin in cauſa eſſe poſſit, ut *Capitis* quoque doloribus interdum iſthæc Paralyſeôs ſpecies ex inopinato ſuccedat: materiâ Scorbuticâ de Cerebro in ſpinalem medullam delapsâ, nervorúmque ad hos vel illos ex artubus ſpectantium origines obſtruente. Quamvis enim Paralyſeôs propriè ſic dictæ proxima & formalis ratio, in reſolutione ſeu laxitate nervorum unicè conſiſtat; ad iſtam tamen reſolutionem nervis inferendam facere

Secundum Williſii ſententiam, ſtujusmodi paralyſis tum a ſede morbi mutata, tũ ab ipsius materiæ morbificæ mutatione procedit. Materia quippe, quæ per exigua quidem, ſed acris & irritativa, nervos, tantum ſplanchnicos incurrebat, proindeq; vellicando viscerum fibras, in iis dolores ciebat acerbiſſimos; poſtea copioſior, ſed multo hebetior, quin & narcotica evadens, per medullam ſpinalem depluit, nervosq; his aut illis membris vel musculis inſertos subiens, in iis reſolutiones parit. Cap. de Paralysi.

cere potest, quicquid Spir. animalium, seu illius influxûs subtilissimi, quo solo nervorum funiculi ad voluntatis imperium invigorantur ac distenduntur, quicunque is demum fuerit, commeatum sit intercipiendo: *compressio* scilicet, *præcisio*, & *obstructio*. Non est itaque necessum, ut hîc ad nervorum *emollitionem* vel irrigationem ab aliquo humore confugiamus: ut falsò docet *Rondeletius* (*Meth. Med. cap.* 32.) & cum eo *Laur. Joubertus* (*in tract. de Paralysi*) qui ex precaria hypothesi, solam pituitam tenuem Paralysin excitare existimat. Maximè quũ emphraxis nodo faciliùs promptiúsque solvendo sufficiat. *

* Haud obstrui posse nervos, vel ideo censet Sylvius (in. praxi. medic. cap. 42. sect. 11) quia ipsorum tubuli, cum sint angusti, Cerebri, cerebelli tubulis continuati, nil admittent, quod non sit tenuissimum, ac in Cerebri, Cerebellive tubulos prius penetraverit; in quos si quis habitus flatusve animalibus ingredi, moy & in nervos penetrare posse contendat; non videt qua ratione & vi judicet idem, habitus, flatusve notatos iterum concrescere posse, ut obstructionem ibidem pariant. Humores pituitosos & aquosos circa nervos hærentes ipsorum tunicas, hinc & medullam humectare, & forsitan laxare pos[illegible], u

Porrò, sicut hujusmodi *Paralysis* non aliunde oriri videtur, quàm à succi Nervosi recrementis crassioribus, inconspicua nervorum permeacula obstruentibus: ita & *Convulsiones*, quæ non minùs frequenter affectum hunc comitari solent, ab iisdem acrimonia sua vel salina, vel acida nervoso generi infestis, ac delicatissima nervorum involucra atque fibrillas alternatim rodentibus ac vellicantibus, potissimùm adscribendas esse censemus.

Hæc

*. Neq; refragari videtur ipsamet ratio. quippe haud paucis Chymicorum experimentis consentaneum est, quod Cl. Fr. de la Boe Sylvius (in Prax. Medic. lib. 2. cap. 23. sub finem) conjectura colligit, omnes generari Thermas ex concurrente cum Sulphuris minera, aqua sale Lixivioso acerrimo impraegnata, a quo & spiritu Sulphuris acido inter se colluctantibus, excitatur effervescentia, & cum effervescentia calor; sicq; in unum quodammodo coeunt aqua & oleum. Hinc q; contingere arbitror, Thermas istas Sulphureas & vim ad intimas usq; corporis partes penetrandi egregiam obtinere, & penetrare simul permistum per intima Sali Lixivioso Spiritum Acidum oleo temperatum; quod oleum temperat quoq; humorem aerem nervorum involucris membraneis adhaerentem, illaq; vellicantem vel rodentem, eoq; tantùm nomine ansam Convulsionibus praebentem; idq; fortassis praestat, cùm oleosa sua substantia, tum exacta salis Lixiviosi & spiritus acidi mistura, à qua vincitur aciditas, semper generi nervoso summè inimica, & primaria rosionis in Convulsione caussa. Subtile namq; Thermarum sal Lixiviosum. & quodammodo volatilisatum, ad spiritum acidum subtiliorem coagulandum longè optimum, & fortè unicum est.

Ad lin. ultimam pag. 241.

Hæc igitur Symptomata, ut & *Stupor*, *Tremores* & id genus alia accidentia *Neuritica* Scorbuto familiaria, ut *causis*, ita & *curandi ratione* per omnia ferè conveniunt: nec ad sui ablationē aliud quicquam in genere exposcunt artificii, quàm ut *remedia invigorandis corroborandisq; Cerebro et Nervis appropriata, cum Antiscorbutis generosioribus conjungantur.* Horum *formulas* de industria prætermitto; apud *Sennertum*, *Horstium*, *Willisium*, in Libris de *Scorbuto* & *Convulsionibus*; item apud *Deckerum*, in notis ad *Praxin Barbettianam*, *pag.* 153. legendas. His autem, ulterioris auxilii causâ, adjungendum esse existimo, *Thermarum Sulphurearum* usum, ad plures septimanas continuatum. Testatur enim consultiss. *Citesius* de calidis *Borbonensibus*, quamplurimos se ex Colica apud *Pictavenses* olim Epidemica in Paralysin conjectos, earum virtute ad integram sanitatem brevi perductos observâsse: ipséque etiam idem testari possum, de *Thermis* nostris apud *Bathoniam* in agro *Somersettensi* scaturientibus. *

R VII. De

† ipsa per subsidentiam collabens, tubulos suos transmittendis Spir. Animalibus ineptos reddat; evincere videtur Paralysis à pluvia frigidiori exorta, ut inde nunc una, nunc plures partes motum, ac sensum plus minus amittant. Cæterùm etiam vulgo notum est, omnem paralysin subito & uno quasi momento corripere: quod fieri non posset ab humectatione, quæ non nisi sensim perficitur.

VII. *De* HYDROPE *Scorbutica.*

Art. 13. Inter hæc graviora Scorbuti jam inveteraſcentis accidentia, heic ſibi locum vendicat & HYDROPS: quo nunc pedes, nunc venter, & aliquando univerſum quoque Corpus fœdum in modum intumeſcunt; quíque & cum duriore abdominis, hepatis, lieníſque tumore; & cum reſpirandi difficultate majore (quæ à Catharſi ſolet ingraveſcere) quàm aliàs affligit.

Hujus *Cauſam proximam* liquidò apparet eſſe *Lymphæductuum liquorem*, præter naturæ inſtitutum extravaſatum, ſensimque collectum in partium affectarum membranis: hócque quòd tenellula illa vaſa, quibus latex ſeroſus circumferri debuit, ejus vel nimiâ quantitate fuerint ad diruptionem uſque diſtenta, vel acrimoniâ eroſa; prægreſsâ *Glandularum* iiſdem Lymphæductibus inſervientium obſtructione. Hinc enim neceſſum videtur, ut præpedita in ſuo reditu *Lympha*, quà data porta copioſè effluat, ſicque graviſſimum hunc morbum, *Hydropem* ægris brevi inferat.

Remota

Remotæ autem cauſæ admodum variæ ſunt. Nam quæcunque Chyli ſanguificationem ita lædunt, ut ex ipſo non quidem bonus & laudabilis, ſed crudus, vitioſus, juſtóq; ſeroſior ſanguis generetur; eadem manifeſtò faciunt ad inducendam hanc *Lymphæ* exundationem. In his verò primatum tenere videtur immoderatus *Aquæ Vitæ* dicam, an *mortis*, & *Spirituum ardentium* uſus; quo acidum illud Ventriculi fermentum, famis pariter atque digeſtionis σπέκκαυμα, uſque eò obtunditur, ut alimenta in illo neque rite comminui ac fermentari poſſint, neque deinceps ab invicem ſufficienter ſegregari. Unde crudus atque aquoſus, ſed & acrimoniæ particeps Chylus neceſſariò emergit; ſibi per omnia conſimilem ſanguinem & ſuccum nutritium ſuppeditaturus. Adde, quòd devoti illi *Bacchi Antiſtites*, qui dies noctéſque iſtiuſmodi ſpirituum poculis indulgent, utplurimum cum *Cerere* divortium faciunt; at ratione acrimoniæ illius ſalſæ, quam vino aduſto ineſſe teſtatur ingens faucium ardor, ſitísque indè accenſa, vehementer ſitiunt: & ad tollendam ſitim, toto pomeridiano tempore *Bacchanalia* celebrare coguntur. Hincq; non poteſt non generari Chylus, & deinde ſanguis, cum *Art.* 14.

ſucco nutritio, crudus, ſeroſus, & hydropi inferendo aptiſſimus. Sícque *Lenæi* iſti Heroes, dum bibendo curas diluere ſtudent, præcipites ſe in Stygias undas mittunt. *Habitualem* nempe ſibi ultrò contrahunt *Hydropem*; non ſolùm alienatis à craſi ſua ſanguine ac ſucco alibili; verùm & viſceribus ipſis per diluvium ſeroſum tono ſenſim exutis.

Art. 15. Horum igitur ſtatus, ubi ſemel à Scorbuto arctiùs obſidentur, pro deplorato plerumque habendus. Utpote qui *Cachexiâ* inveteratâ, háncque excipiente demum *Hydrope* quaſi eviſcerati; neque *Cathartica*, nec *Diaphoretica*, aut alia ulla remediorum genera exhauriendis aquis accomodata ferre valent. Hujuſmodi itaque in caſibus, ſerò nimis advocato in auxilium *Medico*, aliud nil quicquam reſtat agendum, niſi ut prudenter præmiſſo permagni illius, in quo ægroti verſantur, diſcriminis prognoſtico, experimentum faciat, quantum ſubſidii ſit ſperandum ex uſu *Cardiacorum* ac *Diureticorum*, cum valentiſſimis *Antihydropicis* atque *Antiſcorbuticis* ritè conjunctorum.

Aliis autem, qui de Scorbuto inciderint in Hydropem; idque *ſubitò*, & per cauſam

cauſam aliquam *evidentem*; non idem periculum calamitáſque imminet. His ergo ut *Medicus* amiſſam ſanitatem eâ qua par eſt fide ac ſolertiâ reſtituat; *curationem* in hunc modum aggrediatur.

1. Ubi ſeroſa colluvies è Lymphæductibus ex improviſo exundans, non tantùm copiâ ſuâ, ſed etiam *aciditate* peccat: ibi illa quamprimùm corrigenda eſt, atque emendanda medicamentis ſuprà, in *cap. de Scorbuti ex Acido in primis oriundi curatione*, præſcriptis. *Art.* 1.

2. Quoties eadem *ſalſedine* offendit (quod plerumque fit) toties convenient remedia in præcedentibus ad curandum Scorbutum à *ſale fixo* exortum laudata; ut & *ſudorifera aromatica*, ſpiritibus *Antiſcorbuticis* nobilitata, quorum ope ſalſedo luxuriantis lymphæ potentiſſimè corrigetur.

3. In utroque caſu ſummoperè conducunt *Hydragoga*, poſt aliqualem ſeri ſeu acidi, ſeu ſalſi contemperationem exhibita: ſed doſi mediocri, & identidem repetitâ. Conveniunt quoque, poſt benigniores purgationes, *Diuretica* (in quorum numero maximè laudantur cineres

Bufonum, *Apúmque* pulvis, in lixivio cum *ſale Geniſtæ* facto propinati) *Exſiccantia*, partéſque læſas *redintegrantia*, & præ omnibus aliis diuturnior à *potu abſtinentia*, de cujus admiranda virtute vide ſis *Fabricium Hildanum*, *Centur.* 4. *obſerv.* 41. Eximiè item conferunt *Diſcutientia* & *Reſolventia* externè applicata partibus lixiviali cataclyſmate tumefactis: hæcque ſub variis *Emplaſtrorum*, *Cataplaſmatum*, *Sacculorum*, *ſuffituum*, &c. formulis uſurpanda.

Inter *ſpecifica* melioris notæ recenſentur *Pilulæ Hydroticæ* à *Cl. D. Zwelfero*, in *Pharmacop. Auguſtan. pag. m.* 213. præſcriptæ; Electuar. Hydragogum *Sylvii*, *in Prax. Medic. lib.* 1. *cap.* 7. *ſect.* 55. videndum; Tinctura *Allii*, vino *Abſinthite* extracta; Lixivium Diureticum *Leviathan Rabbi*, apud *Heurnium lib.* 2. *method. medend. cap.* 6. deſcriptum; Decoctum Sudoriferum *Quercetani*, in *Pharmacop. Dogmat. reſt:* Specificum Diaphoreticum *Greg. Horſtii*, in *lib. de Scorbuto:* Aqua Hidrotica *Sennerti*, in *cap. de Hydrope: Theriaca Veneta*, vino Malvatico diſſoluta, & cum guttulis aliquot ſpiritûs *Salis Ammoniaci* propinata.

VIII. *De* Atrophia *Scorbutica.*

In rebus Phyſicis, exoriri ab una eadémque cauſâ diverſos nonnunquam, imò & inter ſe mutuò contrarios effectus; ídque ob varias ſubjecti, in quod vires illa ſuas exercet, diſpoſitiones: haud novum eſt. Hinc enim axioma illud vulgare; *omnis Agentis energia ad capacitatem Patientis reſtringitur.* Hujus verò rei eximium in morbo iſthoc πολύμορφῳ ſeſe offert exemplum. Quippe ſicut à Scorbuto interdum ſcaturit *Hydrops*, quo nunc una, nunc plures, quin & omnes corporis partes ultra debitam ſibi magnitudinem intumeſcunt: ita è contrario haud rariùs contingit, ut ex eodem generetur & *Atrophia*; qua modò hæc vel illa pars ſingularis, modò, & ſæpiùs quidem Univerſæ (cartilaginibus, oſſibus & parenchymate viſcerum duntaxat exceptis; utpote quæ parùm aut nihil in ipſo etiam Maraſmo extenuantur) contabeſcunt & abſumuntur; genio ſuo ſenſim defraudatæ. *Art.* 17.

Accidit autem defectus hic Nutritionis,

crebriùs *Succi nutritii*, rariùs *Partium affectarum* vitio.

Succi Nutritii vitio; quoties is aut *deficit* in universo corpore, vel in aliqua parte: aut *incongruus* ac *ineptus* evasit partium substantiæ indies reparandæ.

Deficit in *Universo* Corpore, in hoc casu (alios enim nostrum non est heic attingere) aut ob Chyli boni & laudabilis *penuriam*; aut ob ejusdem *distributionem* ad partes indè alendas quomodocunque *impeditam*: & in parte aliqua *privata*, ex pariter intercepto sui in eam influxu; sive id fiat ob nervorum ad ipsam tendentium dissectionem, aut compressionem, aut (quod sæpissimè obtingit) obstructionem; sive ab alia qualicunque causa.

Idem succus nutritius corpori, ejúsque partibus his vel illis resarciendis redditur *ineptus*, ubi à dulci sua, subpingui & balsamicâ naturâ alienatus, in *salsam*, *lixivialem*, *muriaticam*, *acidam*, &c. degeneravit: utì in Scorbuto inveterato, tum *salso*, tum *Acido* sæpe usu venire, consentaneum est.

Partium

Partium denique *nutriendarum* crimine contingit *Atrophia*, quoties ipſæ à quacunque demum cauſa, & inprimis *externa*, *fortuitáque*, aliquam paſſæ ſunt injuriam inſignem; ex caſu nempe, contuſione, vulnere grandi, &c. unde non tantùm *nervi*, per quos continuum ſucci nutritii ſupplementum debuit inferri, rupti, aut diſſecti; verùm *carnes* ipſæ, ac *membranæ*, &c. labefactatæ ſunt & graviter vitiatæ. Ideóque in hoc caſu ſuccus alimentaris non tantùm deficit, ſed *corrumpitur* quoque, ubi ad partium ita læſarum confinia acceſſerit.

Ut ex ingenti campo excerpta in exiguum denique gyrum compellamus; equidem *Atrophiam* Scorbuto propterea ſupervenire ſuſpicamur, vel quòd *Succus nutritius* ita in itinere ſuo, per viarum quas liberè debuit pertranſire, *obſtructiones*, intercipitur, ut nutriendis partibus non poſſit accedere: vel quod *idem*, etiamſi itineris metam aſſequatur, conceptæ tamen *ſalſedinis*, aut *Aciditatis* eximiæ ratione, adeò vitioſus exiſtit, ut partibus neutiquam inſerviat reficiendis.

In

In *priori* caſu, ſi *Obſtructiones* in venularum *Lactearum* anfractibus hærent; alvus utplurimum juſto fluidior, albicantia rejicit excrementa: utrumque à Chylo in inteſtina reſtagnante. Sin penitiora *Meſenterii*, & *Glandulas* præſertim ſucci alibilis depurationi comparatas inſederint: tunc duri, magníque, & (malo in deterius jam tum ruente) Scirrhoſi *Tumores* in Meſenterio excitantur, manifeſti locorum præcipuè affectorum indices.

In *poſteriori* autem, Chymus neque refluit in inteſtina, nec glandulas mole auget; ſed ad corporis uſque habitum delatus, illícque à partibus refectione indigis, tanquam ingratus atque inutilis, planè rejectus; inibi nunc maculas & tubercula, nunc ſtrigmentorum quaſi ſquamulas, ſcabiem, ulcuſcula ſordida, & id genus alia pravitatis ſuæ indicia profert: quæ pro variis acrimoniæ *Salinæ* aut *Acidæ* gradibus ac conditionibus, haud parùm inter ſe variant.

Nemini itaque obſcurum eſſe poteſt, optimam *Curandi* hujus affectûs rationem vel in eo conſiſtere, ut *Galaxiæ* obſtructiones

ones per convenientia expediantur *Ecphractica:* vel in hoc, ut *ſucci nutritii vitia*, quæ & qualiacunque fuerint, *Alterantibus* corrigantur ac emendentur: ſed & nonnunquam in *utroque.*

Inter *Deobſtruentia*, haud ſcio equidem an quicquam utilius homini à natura datum ſit *Acidulis:* quæ facilè in adyta Meſenterii & Glandularum ſeſe penetrantes, vias Chyliferas omni ab infarctu, quà attenuando, quà detergendo liberant; nec tamen ullum interim relinquunt ſive caloris, ſive acrimoniæ veſtigium. Proſunt quoque *Fotus*, *Linimenta*, *Balnea* aliáque remedia *Externa*, qualia Practici pro Hecticis tabidíſque præſcribunt.

Ex *Alterantibus*, ſeligi debent ea, quæ huic vel illi Succi alimentaris vitio ſpeciatim adverſentur: *Antacida* nimirum, quoties illius dyſcraſia in *acore* potiſſimùm radicatur; & quæ *Salſedinem* humorum deſtruere apta nata ſunt, ubi ejuſdem intemperies præcipuè dependet ab exuperantia *Salis.* In utroque autem genere, *Temperatiora* ſunt cæteris præferenda.

Contra Maraſmum à Succi nutritii *Salſedine*

ſedine exortum fortiſſimè militant *Lac Caprillum*, inprimis ſi Capra herbis Antiſcorbuticis alatur, aut ſi ſpiritus aliquis adverſus eundem affectum valens lacti inſtilletur; *Apozemata* ex *Taraxico*, *Endivia*, *Cichorio*, *Oxalide*, *Beccabunga*, *Cherefolio*, *Uvis Corinthiacis*, & id genus aliis parata, ſpiritúque *Cochleariæ* nobilitata; *Aquæ Limacum* compoſitæ temperatiores; *Syrupus aureus* Joh. Anglici (*Gatiſden* nempe) à *Cl. Sennerto* adverſus febrem Hecticam laudatus, qui commodiſſimè dilui poteſt decocto *Taraxaci*, aut *Sero* lactis adhuc tepido.

In defectu nutritionis ab ejuſdem ſucci nutritii *Acore*, plurimum emolumenti adferunt *pulveres Teſtacei*, per plures dies in aqua *Limacum Magiſtrali* exhibiti: Lac *aſininum*, aut *Vaccinum* aquâ hordeatâ, vel è Taraxaco deſtillatâ dilutum: *Juſcula inſtaurantia*, ex *Cochlearum*, *Limacum*, *Teſtudinum*, *Cancrorum*, *Aſtacorúmve* fluviatilium carnibus in aqua hordeata, donec ferè liqueſcant in gelatinam, decoctis, per ſetaceum tranſmiſſis, cúmque *Amygdalis dulcibus*, *pineis*, *ſemin. frigid. major.* & *Saccharo* albo canto, vel *Perlato* conditis confecta; & aquis *Antiſcor-*

tiſcorbuticis temperatioribus parùm diluta. Hæc enim ſuo tempore uſurpata, ſenſim devicto ſucci alibilis acore, reficiunt ſimul & impinguant.

Sunt & Corrigentia quædam *Univerſalia*, qualia ex Mineralibus & Metallis, aliiſque ad has vel illas Animalium partes minùs determinatis parantur efficaciſſima, ideóque in utriuſque generis Atrophia haud incommodè adhibenda; ut *Calamelanos*, *Tincturæ Antimonii*, *Chalybis*, *Corallii*, *Margaritarum*, &c.

Superſunt & *alia* adhuc Hydræ hujus capita, hactenus ad ſcrutinium revocatis quidem & numero plura, nec levioribus telis abſcindenda: ſed talia, quæ nec incommodè poſſint ad iſtam vel illam è toties jam deſcriptis *Sanguinis*, aut *Succi Nutritii* intemperiebus referri; nec alia ad ſui præciſionem expoſcant remedia, quàm quæ ſuprà ſunt, ſuo quæque in loco, præſcripta, ad iſtas utriuſque liquoris dyſcraſias reſpectivè alterandas corrigendáſque. De *his* igitur ſilentium agere conſtitui: ne aut *Lectori* faſtidio ſit moleſta prolixitas; aut *ipſius* ingenio videar diffidere, ſi de tam perſpicuis rebus diutiùs

diutiùs differam. Adhæc, defessо nunc tandem calamo opportunè adest ἰσχαπέκολλον ; &

Jam pervenimus usque ad umbilicos.
Jam Lector *queritúrque, deficitque* ;
Jam Librarius *hoc & ipse dicit* ;
Ohe jam satìs est, ohe Libelle.

Επφώνημα,

Επιφώνημα,

IN

Medicaſtros.

ALia inter quæ in hoc opere obſervaveris, *Lector Cordate*, ſeveriori tuo judicio minùs quàm nobis in votis fuit, arridere; illud cum primis te admiratione affeciſſe ſuſpicamur, nos in *Therapeutica* illius parte, *Formulas* quas vocant, & *Syſtemata Medicamentorum ad pondus & menſuram non exegiſſe*. Æquum eſt igitur, te hîc, coronidis loco, admoneamus; id à nobis factum fuiſſe, non ut de diligentia aliquid remitteremus, non ex ignoratione artis medicamina ſuo quæque in genere componendi: ſed inductu con-

conſilii recti, honeſtique, & publicam tum Ægrotorum, tum his medicinam facientium utilitatem reſpicientis.

Sciebam nempe, & *Seniorum* ſolertiam, in *Pharmaceutice* pro naſcentis ſub manu commodi opportunitate inſtituenda, id mihi laboris ſupervacuum reddidiſſe: neque in cudendis ex re nata remediorum formulis, artificium ineſſe vel tam *abſtruſum*, ut *juniores* etiam τῆς ἰατρῶν παιδὲς lateat; adeove *Sanctum*, nemini ut liceat, ne latum (quod aiunt) unguem ab Anteceſſorum in eo præceptis diſcedere.

Sciebam præterea, quin & impensè dolebam, haud rarò contingere, ut ex iſtis medicamentorum præſcriptis, ſeu (ut vulgo

go dicuntur) *Receptis*, quæ *Practicorum* in libris nuſquam non ſcaturiunt, multo plus periculi quàm emolumenti non rectè valentibus (ut de ſic læſa ſimul *Artis* omnium diviniſſimæ dignitate nunc ſileam) ſuboriatur. Idque dum temerè in uſum revocantur ab iis, qui nec illorum rationes, nec utendi ἰνκαιρίαν calleant; aſt omnium literarum, & politioris diſciplinæ, nedum *Phyſiologiæ* expertes, ſe tamen jactitent morbis quibuſcunque (ſi Diis placet) curandis pares eſſe: eo quòd ingentem *Receptorum* ſylvam, hinc raptim & indè collectam, atque ſub variis titulis, tanquam in locos communes, diſpoſitam ſecum conſueverint circumgeſtare. Quaſi ad aſſequendum nobiliſſimum illud, & per univerſitatem rerum latè diſcurrens *Medendi* myſterium (quod norunt tamen Eruditi, priſcos illos ſapien-

tiæ conſultos, non Mortalium induſtriæ, ſed cœlo deductum *Diis* ſuis immortalibus adſcripſiſſe) aliud nil eſſet requiſitum, præter inconſultam neſcio quam iſtiuſcemodi *Præſcriptiuncularum*, unà cum nominibus Morborum quibus accommodatæ fuerant, ῥαψῳδίαν. Horum itaque, & aliarum id genus peſtium, quorum culpâ factum eſt, ut Divina *Medicinæ* ſcientia apud imperitos malè audiat, Sacrilegæ audaciæ ut, hac ſaltem ex parte, iremus obviàm; deſtinato conſilio ſtylum abſtinuimus à *Formulis* præſidiorum hic deſcribendis: ne aliter ſi feciſſemus, *Semiſcioli* iſti ſibi anſam indè arriperent, in vitas credulorum, Artiſque noſtræ gloriam porrò peccandi.

Hactenus equidem ad *Ariſtotelis* exemplum ſtudia mea compoſui; qui alumno ſuo, *Alexandro Magno*, ipſum

ſum diſciplinarum *Acroamaticarum* quas vocant, dignitatem, evulgatis earum præceptis, profanâſſe querenti fertur reſcripſiſſe; *ita libros illos eſſe editos, ut haberi poſſint pro ineditis: nec enim quenquam ſenſum ipſorum magnopere percepturum eſſe, niſi quæ in iis continerentur, jam antea didiciſſet.* Ipſe ſcilicet pariter indignor, communicari ſublimioris doctrinæ laudem cum humillimis. Neque enim unquam *Sapientiam* inter vulgus hominum quiſquam diſſeminare tentavit, abſque peſſimis ſucceſſibus, miſerorumque pernicie. Quid? ſi quis *Jura* ac *Leges* illos docere velit; quas contentionum tempeſtates, quantos tumultus, quot rebelliones ſuſcitabit? Idem de *Religione*, de arcanis *Imperii*, de *Medicorum* ſecretis & ſimilibus.

Et intereſt ſanè generis humani,

ut ii quos θεῶν χεῖρας non vano prorſus elogio dixit *Antiquitas*, ſanctiſſimam ſuam diſciplinam nemini, præter hos qui ad eam publicè profitendam ex legum auctoritate admiſſi, & νόμῳ ἰητρικῷ ὠρκισμένοι fuerint, edoceant. Sic enim optimè & hominum ſaluti conſultum foret, & honori diſciplinæ. Hincque ſubtiliſſimi illius Philoſophi, *Hieron. Cardani* judicio (*in Libr. de Socratis ſtudio*) qui artem *Hippocraticam* communicârunt populis, morte oppidò digni ſunt, nec ſimplici. Eorum enim facto, peritiſſimi Medicorum acceperunt judicem populum: ut errare cum illis cogantur; aut ſi rectè agendo perdurare velint, atq; perſiſtere, caſus ægrorum infelices illis attribuantur.

Intereſt etiam, ut procul removeantur ab ejuſdem Artis *exercitio*, qui

qui ipſam ne à limine quidem ſalutârunt : ſed civium valetudinem quæſtui habent, debitumque artis fructum aliis ſceleratè præripiunt, qui ab ineunte uſque ætate in ea addiſcenda operæ plurimum, ingenteſque ſumptus fecere. Quid enim *crudelius* excogitari poteſt, quàm imperito, & quicquid uſquam concipitur nefas, lucelli causâ, auſuro Agyrtæ bonos cives tradere impunè occidendos ? Quid *iniquius*, quàm ſublatâ munerum, dignitatum, graduum, meritorum, perſonarum diſtinctione ; profanis ſacra, ignavis generoſa, ardua indoctis, ſubtilia idiotis, honeſta impuris, omnibus omnia licentiſſimè, & cum impunitate permittere ? Quid denique *periculoſius*, quàm juſta, & divinis pariter atque humanis legibus conſentanea, omnique ab ævo à tot viris prudentiâ ſimul & imperio illu-

ſtribus ſolenniter ſancita Medicorum *Privilegia*, quibus, tanquam fixis publicâ auctoritate terminis, olim diſtincti fuerunt, & ab Empiricorum invaſione defenſi, violare; ad liberalis contemptum eruditionis, indeq; neceſſariò ſuccreſcentis barbariei inductionem? Eò enim ſolet impendi labor ac induſtria, unde emolumentum atque honos ſperetur; at demptis ſtudiorum præmiis, etiam ſtudia mox pereunt: ſeu ut idem elegantiùs exprimit *Jamblicus* apud *Stobæum* (*Serm.* 46.) *augetur et creſcit, quicquid in honore eſt; deficit et minuit, quicquid in contemptu eſt.*

* Æqua eſt difficultas, quæ non facile ſuperetur, ſi eam certa merces & laus non vulgaris conſequatur. Iſaac. Voſſius, de cantu Poemat. pag. 113.

Eſt itaque, quòd metuamus *Medicinæ*, ne intra unius abhinc ſæculi decurſum, uſque eò evileſcat ejus *Profeſſio*, ut indigna habeatur, cui viri ſive natalibus ingenui, ſeu egregiis in-

ingenii dotibus ornati, ſe totos devoveant. Diu namque jam eſt, quòd haud parum de priſtina ſua exiſtimatione, non ſolùm apud ventoſam plebem, verùm etiam Magnates, Satrapas, ſummiſque rebus præpoſitos, perdidit : indies magìs magiſque, tanquam impellente fato, declinans ad occaſum. Hocque alia nulla, utì videtur, de cauſa ; niſi ex ingenti numero, & inſcitia, vilitateque (ne quid gravius dicam) eorum, qui ſcientiæ orgiis nunquam initiati, ſacris tamen operari non erubeſcunt : quique neglectâ Morborum per cauſas naturales cognitione dignotioneque, Ἐμπειρείαν ſolam temerè dicam, an impiè conſectantur ; atque ut *Plinius* veriſſimè (*lib. 26. cap. 1.*) *diſcunt periculis concivium, ac per experimenta impunè mortes agunt.* Hodie ſcilicet, ſi unquam (quod nulli non honeſto pectori dolorem

inurere debet acerbiſſimum) ejuſmodi *Receptariorum, Circumforaneorum, Veneficorum* omnia plena.

Fingit ſe Medicum quiſquis, idiota, profanus, Judæus, monachus, hiſtrio, raſor, anus.

Nihil dixiſti, *Satyrice*; medicos ſe fingunt quoque *Rizotomi, Seplaſiarii*, ſordidi *Balneatores*, triobolares *Phlebotomatores*, ſpurcidici *Lenones*, indocti parochiarum *Sacrificuli, Chymiſtæ* carboniperdes, audaculi *Edentatores*, impudentiſſimi *Uromantes*, veteratores *fatidici*, libidinoſæ *obſtetrices*, τειβάδες, & præ cæteris omnibus perfida illa, ingratiſſimaque impoſtorum gens, *Pharmacopolæ*; qui ſunt in Rep. *ægrorum pernicies, rei medicæ calamitas, & Libitinæ præſides.*

His tamen σκωλοφάγοις, cataſta, loris

ris & equuleo digniſſimis, *Magiſtratus*, importuna utique, & non ſolùm proletariis, & capite tantùm cenſis, ſed amplioris fortunæ hominibus, imò ſibimet etiam ipſis interdum exitiali lenitate, parcunt: neque ulla in eos pœna in Rebuſp. conſtituta eſt (ut olim graviter conqueſtus eſt *Hippocrates* Magnus, in Νόμῳ) præterquam ignominiæ. Quæ non afficit, neque contingit eos, qui ex compoſito perſonam Medici induerunt. Ut nos, graviſſima quidem de cauſa, cum *Marcello Palingenio*, exclamemus;

O miſeræ Leges! quæ talia crimina fertis.
O cæci Reges! qui rem non cernitis iſtam.
Vos quibus imperiũ, qui mundi fræna tenetis,
Ne tantũ tolerate nefas, hanc tollite peſtẽ, &c.

aut clauſis nunc tandem muſæis noſtris, nuncioque Philoſophiæ remiſſo,

ſo, de juſtiſſimo Regum patrocinio deſperantes, ita nobiſcum, quemadmodum *Salomon*, in re graviori, expoſtulemus; *ſi unus et ſtultorum et noſter eventus erit; quid nobis prodeſt, quòd majorem ſapientiæ dedimus operam?*

Habent quidem literæ humaniores, & illa ποικίλη φιλομάθεια, neſcio quam vim ἐφισυρτικὴν; ut quos Muſa illa ſemel afflavit, ſemper ad illud *Sophiæ* templum reſpiciant: quaſi ſua tam ſanctum erga numen devotione ſatis beati. Cæterùm ubi nobiſcum ſeriò expendimus, qualem ſpicam culmus iſte ex ſe tandem effundit; quid quæſo, præter ſteriles ariſtas, nudam inquam contemplandi delectationem, & famam egentibus inutilem ſuique tædium cito ſenſuram, relinquit?* Nunc enim perverſam rationem fortuna inſtituit, ut in multis

* Viles litteræ, cum nopes sunt. Fulciri debent, ornari debent. Negq; quisquam tam stolidus, ut si robustum, ac formosum corpus a Natura acceperit, vestem spernat. Eryc. Puteanus. Epist. cent. 1. epist. 13. Conditio Professoris ipsas quoq; artes involvit. florere aut vigere non possunt, nisi & ille. Idem ibid. in epist. 85.

multis gentibus propè ſit ad egregii animi indicium, arceri à regiis, aut in illis jacere : & ubi Muſis olim præcipuum fuit ſacrarium, ibi ſi benè rationem ponis, virtutis jam opus ſoli agant nummi. Adeoque ad ſeverioris prudentiæ faſtidium compoſitus videtur ſæculi hujus genius, ut nihil ſupra artem paraſiticam ſciviſſe, percommodum ſit, nec Magnatum favore indignum : imò, præter ignorantiam, & mores impudicos, nulla pateat ad honores via. Ita apud populum pariter populique duces, munera noſtra ſordent ; ac lampadum inſtar, aliis inſerviendo gratis ipſi conſumimur. Ille quidem nobiliſſimus *Philoſophiæ Naturalis* amor, impetuſque ſciendi, à pecuniæ & ambitûs utilitate ſemotus, in ſecuris & jam felicibus ingeniis, inter avitas opes digna & præcipua majeſtate ſe commendat. At verò ſi quis

quis anguſti cultor agelli, impari amore deceptus, de egeſtate ſua ſublimia quoque *Phyſices* myſteria contemplari, & eadem ſinceritate colere audebit; quantumcunque magnificè de ſtudiorum profectu cogitet, ſæpiſſimè de *Hecates* cœna guſtabit. Divitiæ enim, quamvis cæcæ, norunt tamen divertere ab inopi eruditione: quaſi diſſonum ſit, & incongruum *Pluti* cum *Apolline*, *Minerva* & *Mercurio* commercium.

Bona Minerva in his quidem ſacris Mercurium non admittit. Lucro & litteris ſimul operam dare, difficile eſt: ut flare & ſorbere. Expedienda mens eſt, ut libera & vegeta ſit, & ſuppa anguſtias rei familiaris. Eryc. Putean. Epiſt. Cent. 1 epiſt. 85.

His malis inſuper acceſſit & illud; inter ipſos etiam *Literatos* tam inſana gliſcit ardetque de gloriolæ umbra contentio, ut nemo edere in publicum aliquod Scriptum poſſit, qui non ſtatim inveniat obtrectatorem. Nihil aliud autem ſuis curis, ſuis laboribus, quàm invidiam & animi ægritudinem quærere, extrema dementia eſt.

No-

Noſtrum itaque Ordinem, ut vides, haud ſimplex infelicitas premit. Nempe qui *Medicinam* ſcriptis excolere aggrediuntur, ſeſe virulentis *Ariſtarchorum* cenſuris ultrò exponunt: qui contrà ſtilo ſilentium cautè indicunt, pro deſidioſis vulgo habentur, aut ſaltem pro non multùm eruditis. Hinc contemptu obſidemur, illinc metu.

Sic undique laborantibus, quid aliud ſupereſt conſilii, niſi ut minimo contenti, taciteque ſolatium petentes à ſtudiis, domi privatim ſapere contendamus? Hoc equidem longè conſultius videtur, quàm aut per animi impotentiam ſuccumbere, & cedere fortunæ; aut viſa nobis & cogitata, ut ut ad Artis ejus quam profitemur, augmentum ſpectantia, divulgando, eas tempeſtates ciere, quæ

quæ nobis in posterum otium & quietem adimant. Mihi igitur certum est, posthac ita facere : ne quis unquam in futuro de calami mei ineptiis conqueratur ; nec ipse vicissim de illius malignitate. In freto vixi, moriar in portu. Vale itaque, *Lector candide* ; atque meis, tum *Typographi* erratis sit tua humanitas nonnihil præsidii.

MVSEVM
BRITAN
NICVM

FINIS.

Nunquam mihi placuerunt, qui in futuros morbos firmo corpori medicamenta infundunt, solicitantq; sopitas ægritudinis causas; nec tempore ullo pejùs quàm inter ejusmodi Lucham succensas. Quot mala, quot funera vidimus hominum per ejusmodi medicamina incitantium resides, & veluti parata nocere humores!